I. De Galeni *Ὑγιεινῶν* libri quinti argumento ac dispositione.

Habent sua fata libelli.

Ex Galeni *Ὑγιεινῶν* libris sex cum quinto pertractando operam dare instituissem, in magnas incidi moras difficultatesque, quae ut genere diversae, sic aetate, qua natae sunt, dispares videntur esse; inveniuntur autem dispersae per totum librum. Quas quaerenti mihi quomodo illustrare ac patefacere possem, optimum visum est sententiarum ordinem persequi, ut dispositione si fieri posset inventa quae esset huius libri ut ita dicam oeconomia explicarem. Hanc igitur viam, quippe quae mihi quidem probata sit, hac in commentatione ingredi liceat.

De fontibus autem, quibus usus sum, quoniam altero capite accuratius exponetur, satis habeo praemonere praesto mihi fuisse folia photographice depicta horum codicum:

Veneti n. 276 s. XII (Ven. V)
Veneti n. 282 s. XV (Marc. M)
Reginensis n. 173 s. XV (R)
Parisini n. 2172 s. XVI (P).

Nicolai translationem ut cognoscerem, usus sum foliis photographice depictis

Monacensis n. 35 (Nm)
Parisini n. 6867 (Np),

Burgundionis,

Monacensis n. 11 (Bm);
Amplonianum n. 249 (Ba) ipse descripsi.

Πέμπτον ἐνιστάμενος λόγον ὑπὲρ τῆς ὑγιεινῆς πραγματείας παραμυθήσασθαι βούλομαι πρότερον, εἴ τινες ἄρα δυσχεραίνουσι τῷ μήκει τῆς διδασκαλίας. Haec verba in initio leguntur; ex quibus cognoscimus auctorem in hoc capite discentium animos operis prolixitate gravatos consolari et cohortari velle. Quod quo melius assequatur propositum, primum demonstrat fieri non posse, quoniam variae ac multiplices hominum naturae sint (306, 3), ut universa sanitatis tuendae ars paucis absolvatur; quam qui in unum librum coartare ausi sint, eorum doctrinam contemnendam et reiciendam esse. Hac parte absoluta (310, 12: *ἡ μὲν δὴ τοῦ μήκους τῶν λόγων αἰτία καὶ δὴ λέλεκται*), ut qui nimia longinquitate deterriti ad disciplinae studium vereantur accedere, eorum animos exsuscitet maioresque ad rem pertractandam faciat, summis laudibus artem effert, cuius praeceptis diligenter observatis homines in sanitate usque ad extremam senectutem conserventur, cum qui aut neglegentia aut ignorantia decepti peccaverint, in intolerabilia incidant mala. De cap. I.

Secundi capitis argumentum priusquam enarremus, exscribenda sunt, quae in initio leguntur 312, 10: *Ἄρξασθαι δὲ δήπου δίκαιον ἂν εἴη* (sic recte Ven. V, *ἄρξασθαι δέ μοί που δίκαιον ἂν ἦν* cett.) *ἀπὸ τῆς ἀρίστης, ἧς ὁ σκοπός ἐστιν οὐκ ἐπανόρθωσις, ἀλλὰ φυλακὴ τῶν ὑπαρχόντων, ὅπερ ἡμεῖς ἐποιήσαμεν εἰπόντες ὑπὲρ αὐτῆς ἄχρι δεῦρο καθ' ἑκάστην τῶν ἡλικιῶν πλὴν τῆς παρακμαστικῆς καλουμένης, ἧς τὸ τελευταῖον μέρος ἰδίως ὀνομάζεται γῆρας, ἔχοντός τινα καὶ τούτου τομὴν ἰδίαν, ὡς ὕστερον εἰρήσεται κατ' ἐκεῖνο τοῦ λόγου τὸ μέρος, ἔνθα τὸ καλούμενον τῆς τέχνης γηροκομικὸν μέρος εἰς διδασκαλίαν ἄξομεν.* Haec verba si perpenderis, mecum concluseris Galenum inclinantium aetatem in hoc libro non modo omittere noluisse, sed etiam secundum ordinem aetates tractare in animo De cap. II.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

habuisse, ita ut primum de inclinantium, deinde de senum aetate ageretur. Iam id tenendum est Galenum promittere se de partitione senilis aetatis infra *(ὡς ὕστερον εἰρήσεται κατ' ἐκεῖνο τοῦ λόγου τὸ μέρος, ἔνθα τὸ καλούμενον τῆς τέχνης γηροκομικὸν μέρος εἰς διδασκαλίαν ἄξομεν)* dicturum esse. Ac primum quidem habet mihi quidem aliquid offensionis illud 'ὕστερον κ. τ. λ.'; nam de senum curatione iam in tertio capite agitur; quod cum ita sit, potius exspectaveris 'εὐθύς' vel 'αὐτίκα'. Sed id quod multo magis mirandum est, in ea parte, quae de senum curatione est, frustra eam, quam ille promisit, partitionem circumspicies; quam nisi totum librum perlegeris, omnino non invenies; nam in extrema particula, ibi demum partitionem illam positam deprehendes. Galenum in conscribendis libris suis permultis nimis sibi indulsisse quis est qui nesciat? Sed quamvis multa ei concedamus, id quidem dicere audemus: eum tum, cum hunc locum scripserit, res aliter collocare voluisse atque collocatas hodie videamus.

Ἀλλὰ νῦν γε τὰ κυριώτατα τῶν εἰρημένων ἀναλαβόντες . . . (312, 18) his verbis secundi capitis summa definitur; complectitur enim Galenus omnia, quae antea de corpore optimi status in sanitate conservando docuit, breviter strictimque. Cum fieri non possit, ut omne omni tempore vitium vitetur, necesse esse primum tenere illud universum praeceptum: 'contraria contrariis', deinde autem ab eo, qui alicuius sanitatem conservandam susceperit, postulandum esse, ut et eius corporis affectionem diligenter perspectam habeat et memoria teneat, quaecunque ille superiore die vel egerit vel exercuerit vel sumpserit. Discernuntur autem octo corporis optimi affectiones ab optima temperatione recedentes: corpus fieri potest, ut appareat aut gracilius aut obesius aut durius aut mollius aut siccius aut humidius aut densius aut rarius. Quarum affectionum qua quaeque ratione curanda sit respecto superioris diei excessu, accuratius exponit. Iam cum finem facit repetendi priora, inculcat denuo postulata sua hoc praecepto addito: ut auxiliorum vires cognitas habeat, qui alicuius sanitatem conservandam susceperit. Quibus qui possit obtemperare praeceptis et satisfacere postulatis, eum non solum idoneum fore, qui in sanitate sanos conservet, sed etiam qui aegrotos in pristinum sanitatis statum restituat.

De cap. III. Promiserat Galenus (313, 1): *τὰ κυριώτατα τῶν εἰρημένων ἀναλαβόντες ἐπὶ τὰς μοχθηρὰς φύσεις τῶν σωμάτων μεταβησόμεθα* (sic recte Ven. V), *δεικνύντες ὅπως ἑκάστην αὐτῶν ἐν ὑγείᾳ μάλιστα φυλακτέον ἐστίν.* Huic promisso videtur stare in initio tertii capitis; discernuntur autem vitiosarum naturarum classes ut videtur tres: fieri potest, ut aut partus ipsa natura vitiosus sit aut ut corpus postea nescio qua causa in statum praeter naturam incidat aut ut aetate in peius mutetur. Iam sequuntur haec (319, 7 s.): *πειρᾶσθαι δ' ἐπανορθοῦσθαι πάντα διὰ τῆς ἀντικειμένης ἀμετρίας· οἷον αὐτίκα τὸ γῆρας* (verba *περὶ γήρως*, quae reliqui exhibent codices, recte desunt in Ven. V) *ἐστι μὲν ψυχρὸν καὶ ξηρόν κ. τ. λ.* Incipit igitur illa pars, quae de senum curatione est, '*ἔνθα τὸ καλούμενον τῆς τέχνης γηροκομικὸν μέρος εἰς διδασκαλίαν ἄξομεν*' (312, 17); quae pars ad finem perducta est 360, 7, neque leguntur in ea, quae de partitione senilis aetatis se explicaturum esse dixerat (312, 16: *ὡς ὕστερον εἰρήσεται κατ' ἐκεῖνο τοῦ λόγου τὸ μέρος, ἔνθα κτλ.*). Immo, interpositam inter illam partem, qua de senibus agitur, et totius libri epilogum, quo senectutem in singulas aetates divisam demonstrat, invenis magnam alteram partem (p. 360—379); qua in parte non de senectute quaestio habetur, sed de intemperiei vario genere; ea in re defendit Hippocratis praecepta quaedam, carpit et methodicorum et empiricorum errores, gloriatur se ipsum iuvenili aetate rectam ingressum esse viam.

Adumbrato totius libri argumento redeat illuc, unde deflexit quaestio. Tres vitiosorum corporum classes Galenus produxerat, unam eamque tertio loco nominatam tractat. Nonne exspectavisti omnes tres vitiosarum naturarum classes fore ut seorsum tractarentur, ut de unaquaque quomodo curanda esset, quaestio institueretur? 'At garrulus homo est Galenus ac dissolutus neque curat ullam dispositionem'. Audio. Quare summa adhibita modestia dicemus, ut antea, tum temporis, cum illum locum litteris mandaverit, auctorem in animo habuisse de singulis vitiosarum naturarum generibus hoc libro seorsum agere, praesertim

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cum ille expressis verbis dixerit (313, 1): *ἐπὶ τὰς μοχθηρὰς φύσεις μεταβησόμεθα, δεικνύντες ὅπως ἑκάστην αὐτῶν ἐν ὑγείᾳ μάλιστα φυλακτέον ἐστίν.* Sed id quoque moneo illum ne inclinantium quidem aetatem ullo verbo attigisse, quod eo magis mirum videtur, quod ipse paulo ante (312, 4: *εἰπόντες ὑπὲρ αὐτῆς ἄχρι δεῦρο καθ' ἑκάστην τῶν ἡλικιῶν πλὴν τῆς παρακμαστικῆς καλουμένης, ἧς τὸ τελευταῖον μέρος ἰδίως ὀνομάζεται γῆρας*) concesserat de ea aetate quaestionem adhuc nondum institutam esse. Cur tandem alteri alteram aetatem non adiunxit? Mehercle valde vituperanda est tanta rei, paene dixi necessariae, incuria. Quodsi constat totum librum illa parte, quae de intemperiei vario genere est (p. 360—379), excepta senum curationi destinatum esse, dubitare poteris, quaenam vis verbis (319, 5): *ἢ τῷ τῆς ἡλικίας λόγῳ* subicienda sit: utrum ad unam senectutem referenda sint, qua obrepente relanguescere corpus nemo ignorat, an ad omnes vitae humanae aetates, quarum quaeque certam intemperiem gignere possit.[1]) Licet autem ne cogitaverit Galenus nec de puerorum nec adulescentium nec florentium aetate, num inclinantium quoque aetatem exclusam voluerit in incerto erit. Res si diiudicari posset, non parvi esset momenti: nam aut erat Galenus tum, cum haec verba scripsit, prioris consilii immemor aut nescio qua causa adductus id quod sibi proposuerat — nam qui scribit (312, 12): *ὅπερ ἡμεῖς ἐποιήσαμεν, εἰπόντες ὑπὲρ αὐτῆς ἄχρι δεῦρο καθ' ἑκάστην τῶν ἡλικιῶν πλὴν τῆς παρακμαστικῆς καλουμένης κ.τ.λ.,* is procul dubio in animo habet de re omissa agere — exsequi noluit. —

Has difficultates ut quantum fieri poterit illustremus, suadeo, ut evolvamus sextum *Ὑγιεινῶν* librum. De dispositione, quam adhuc secutus sit, dicit Galenus (382, 15): *πρῶτον οὖν ὑποθέμενοι τῷ λόγῳ τὸν ἄριστα κατεσκευασμένον ἄνθρωπον, ὅπως ἄν τις τοῦτον ὑγιαίνοντα διαφυλάττοι, διελθεῖν προὐθέμεθα. πολλῶν δ' αἰτίων κατὰ πολλοὺς τρόπους διακοπτόντων τὴν ὑγιεινὴν ἀγωγήν, ὑπεθέμεθα τὸν ἄριστα κατεσκευασμένον ἑαυτῷ σχολάζειν* (sic Ven. V, *φυλάττειν* K.) *ἐλεύθερον ὄντα πολιτικῆς ἀσχολίας ἁπάσης. καὶ τοῦτον ὥσπερ ἄν τις ἀπὸ πρώτης ἡλικίας ἄχρι γήρως ἐσχάτου διαφυλάξειεν ὑγιαίνοντα διελθόντες ἐν τοῖς πρώτοις ὑπομνήμασι πέντε, μεταβησόμεθα νῦν ἐπί τε τοὺς κατὰ περίστασιν πραγμάτων ἀδυνατοῦντας ἐν τοῖς προσήκουσι καιροῖς ἐσθίειν τε καὶ πίνειν καὶ γυμνάζεσθαι καὶ τοὺς εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς νοσώδη κατασκευὴν σώματος ἔχοντας.* Quid? Novae difficultates nonne emergere mihi videntur, qui veteres dissolvere voluerim? Nonne prorsus aliter Galenus atque in quinto libro totius operis dispositionem hoc loco circumscripsit? Nam in quinto (p. 313) opponuntur corporibus optimae naturae corpora vitiosae naturae (313, 1: *ἐπὶ τὰς μοχθηρὰς φύσεις μεταβησόμεθα*); in his numerantur senes; in sexto opposita vides corpora optimae naturae et ea cuiuslibet aetatis (383, 5: *ἀπὸ πρώτης ἡλικίας ἄχρι γήρως ἐσχάτου*) iis, qui aut tempus suum negotiis conficiendis impertire coguntur aut qui statim ab ortu morbosum corporis statum sortiti sunt. Liceat autem, quo melius cognosci possit, qua ratione concinant, qua discrepent sententiae, utrumque locum oculis supponere:

V, 319,1	VI, 383, 4
ὁποῖον μὲν οὖν ἐστι τὸ ἄριστον σῶμα, πρότερον εἴρηται. τὸ δ' ἀπολειπόμενον τοῦδε γινώσκειν μέν σε χρὴ διὰ τρεῖς αἰτίας ἀπολειπόμενον, ἢ ὅτι κακῶς ἐξ ἀρχῆς κατεσκευάσθη κυούμενον, ἢ ὅτι μετὰ ταῦτα πρός τινος αἰτίας εἰς τὴν παρὰ φύσιν ἤχθη διάθεσιν ἢ τῷ τῆς ἡλικίας λόγῳ.	*καὶ τοῦτον* (cf. 382, 16: *τὸν ἄριστα κατεσκευασμένον ἄνθρωπον*) *ὥσπερ ἄν τις ἀπὸ πρώτης ἡλικίας ἄχρι γήρως ἐσχάτου διαφυλάξειεν ὑγιαίνοντα διελθόντες ἐν τοῖς πρώτοις ὑπομνήμασι πέντε, μεταβησόμεθα νῦν ἐπί τε τοὺς . . . ἀδυνατοῦντας . . . ἐσθίειν . . . καὶ τοὺς εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς νοσώδη κατασκευὴν σώματος ἔχοντας.*

Manifestum est dispositionem a Galeno mutatam esse; eam re vera secutus est, quam loco sexti libri supra laudato tradidit. Quaerendum igitur est, quanam causa commotus rem mutare constituerit. Dixerit quispiam: vides, quanta sit neglegentia Galenus, quam non propositi tenax. At id ipsum saepe a medicis disputatum erat, utrum senes inter aegros numerandi essent necne

[1]) *Ὑγ.* p. 14, 10.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(p. 330, 11: *εἴτ' οὖν νόσον εἴτε νοσώδη διάθεσιν εἴτε μέσην ὑγείας τε καὶ νόσου διάθεσιν εἴτε κατὰ σχέσιν ὑγείαν ὀνομάζειν χρὴ τὸ γῆρας).* Quaerentibus autem nobis, quaenam fuerit de ea re Galeni genuina ac principalis opinio, dicere fas est Galenum sanos quidem senes sanorum in numerum ascribi voluisse. Id enim facile colligere poteris, si exordium totius operis (p. 1—31) perlegeris, ex quo unum quidem locum deprendere liceat: p. 26, 5: *ἀλλ' ὅμως οὐδὲν κωλύοντὰι πάντες οἱ κατὰ πάσας τὰς ἡλικίας ὑγιαίνειν.*[1]) Quod cum ita sit, persuadere mihi non possum Galenum nulla omnino cogitatione adhibita rem mutavisse; inest nescio qua ratio et latet, quae indaganda est. —

Video constare haec: Quaecunque Galenus de libro quinto componendo ac disponendo praemonuit, ea in ipsa tractatione aut non aut male efficiuntur: voluit ille de inclinantium aetate exponere, cuius extrema esset pars senectus — de senectute sola exponitur, pronuntiat de senum curatione actum iri in posteriore libri parte (312, 16: *ὡς ὕστερον εἰρήσεται κατ' ἐκεῖνο τοῦ λόγου τὸ μέρος κτλ.*) — ab hac parte incipit, in hac parte desinit, edit sibi in hoc libro de vitiosis naturis sermonem fore, quarum tres classes discernit — duas classes omnino non respicit, tertiam ita tractat, ut restent multa. Atqui ex sexto libro intellegimus (p. 382, 15 ss.) senes in vitiosarum naturarum numerum ascribendos non esse; igitur siquidem severiorem iudicandi rationem adhibueris, nequaquam de iis erat agendum in ea parte, quam vitiosis naturis destinatam voluerat. Quae cum ita sint, concludo nos hodie non legere eum, quem aliquando constituerat componere librum, sed alterum quendam, de cuius natura et indole auctor novum consilium inierat. Videtur autem id spectasse, ut hunc novum librum senibus senumque curationi totum reservaret. Quod si est, nostrum erit demonstrare, qualem librum Galenus aliquando componere voluerit, qua de causa hunc librum aut non perfecerit aut si perfecerit, cur abiecerit; quo abiecto qua ratione tum opus efficiendum esse sibi persuaserit, denique quomodo rem absolverit.

Sed quibus auxiliis adiuti fundamenta illius prioris exempli effodi posse speramus? Ac primum quidem dicendum est vetustioris exempli duo capita exstare aut si de primo capite etiam dubitaveris, unum, tertii initium. Quibus in capitibus vidimus auctorem saepius de libri instituendi ratione praemonuisse; ii loci denuo inspiciendi ac retractandi sunt. Deinde cognovimus inter quintum et sextum librum intercedere rationem quandam; qua indagata videndum est, num quid lucri facere possimus.

Age vero, percurramus iterum quam celerrime paginas: dicit ille (312, 13): *ὅπερ ἡμεῖς ἐποιήσαμεν εἰπόντες ὑπὲρ αὐτῆς ἄχρι δεῦρο καθ' ἑκάστην τῶν ἡλικιῶν πλὴν τῆς παρακμαστικῆς καλουμένης, ἧς τὸ τελευταῖον μέρος ἰδίως ὀνομάζεται γῆρας, ἔχοντός τινα καὶ τούτου τομὴν ἰδίαν, ὡς ὕστερον εἰρήσεται κατ' ἐκεῖνο τοῦ λόγου τὸ μέρος, ἔνθα τὸ καλούμενον τῆς τέχνης γηροκομικὸν μέρος εἰς διδασκαλίαν ἄξομεν.* Ex his verbis primum comprobatur Galenum de inclinantium aetate nescio quo loco agere voluisse — hoc quidem spero omnes concessuros esse, nisi forte quis erit tam subtilis vel potius spinosus, ut dicat fortasse placuisse Galeno, ut hanc unam aetatem non admitteret; deinde, ut re vera ex inclinantibus, modo in vita maneant, senes fiunt, ita hoc loco inclinantium aetatem cum senectute coniunctam vides (312, 14: *ἧς τὸ τελευταῖον μέρος ἰδίως ὀνομάζεται γῆρας*), tum id monemus auctorem pronuntiare se de senectute *ὕστερον* acturum esse, unde efficimus hanc partem non in primo capite tractationis inventum iri, sed in posteriore nescio quo; postremo haec verba non neglegenda sunt: *κατ' ἐκεῖνο τοῦ λόγου τὸ μέρος, ἔνθα τὸ καλούμενον τῆς τέχνης γηροκομικὸν μέρος εἰς διδασκαλίαν ἄξομεν.* Id igitur sibi proposuerat, ut in hoc ipso libro de senum curatione ageret. Iam vero demonstravimus ipsum hoc loco has aetates coniunxisse. Nonne

---

[1]) De eadem re disserit in sexto libro; p. 388, 1: *ἔχουσι δ' ὅμως* (scil. *οἱ ἄνθρωποι*) *οὐ μόνον ἄχρι γήρως ἀρχῆς, ἀλλὰ καὶ κατ' αὐτὸ τὸ γῆρας ὅλον* (scil. *τὴν ὑγείαν*). ibid. 12: *(εἰ δὲ καὶ τρίτη τίς ἐστι διάθεσις σώματος), . . . τὸ μὲν ἔξω νόσον τοῖς γέρουσιν εἶναι πάντως ὑπάρξει, τὸ δὲ τὰς ἐνεργείας ἰσχυρὰς ἔχειν ὁμοίως τοῖς ἀκμάζουσιν οὐχ ὑπάρχει.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verisimile est eas in tractatione quoque coniunctas fuisse? Sed de hac re priusquam iudicium facere possimus, indaganda est illa pars, qua de inclinantium aetate agitur. Quod quoniam in praesentia fieri nequit, differamus in posterum.

Iam id, quod statuimus, in posteriore libri parte Galenum de senum curatione agere voluisse, confirmatur iis quae sequuntur verbis (312, 18 ss.): *ἀλλὰ νῦν γε τὰ κυριώτατα τῶν εἰρημένων ἀναλαβόντες ἐπὶ τὰς μοχθηρὰς φύσεις τῶν σωμάτων μεταβησόμεθα, δεικνύντες ὅπως ἑκάστην αὐτῶν ἐν ὑγείᾳ μάλιστα φυλακτέον ἐστίν.* Nam clare ac distincte pronuntiat auctor se rebus quibusdam gravioris momenti repetitis ad vitiosas naturas tractandas transiturum esse; addit de unaquaque harum vitiosarum naturarum seorsum sermonem fore.

De dispositione igitur libri componendi iam certiores facti sumus: in priore parte tractabuntur naturae vitiosae (*αἱ μοχθηραὶ φύσεις*), in posteriore senes (312, 16: *ὡς ὕστερον εἰρήσεται κ. τ. λ.*); verisimile autem nobis videbatur auctorem de inclinantium aetate quoque agere voluisse.

Iam inspiciamus tertium quo de libro instituendo praefatur Galenus locum (319, 1 ss.): *ὁποῖον μὲν οὖν ἐστι τὸ ἄριστον σῶμα πρόσθεν εἴρηται· τὸ δ' ἀπολειπόμενον τοῦδε γινώσκειν μέν σε χρὴ διὰ τρεῖς αἰτίας ἀπολειπόμενον, ἢ ὅτι κακῶς ἐξ ἀρχῆς κατεσκευάσθη κυούμενον ἢ ὅτι μετὰ ταῦτα πρός τινος αἰτίας εἰς τὴν παρὰ φύσιν ἤχθη διάθεσιν, ἢ τῷ τῆς ἡλικίας λόγῳ.* Repetitionem priorum absolutam ac perfectam esse ex primis verbis manifestum fit. Iam exspectamus fore, ut disputatio de vitiosis naturis initium capiat; praemittit autem, quo melius cognoscamus, de quibus classibus vitiosorum quaestio fiat, divisionem quandam. Cum hac divisione nobis nunc lis erit.

Nescio enim, utrum fortuna casuque an consilio factum sit, ut hoc loco notionem illam, qua vitiosae naturae (*μοχθηραὶ φύσεις*) describuntur, vitaret. Quoquo modo res se habet, angustissimo cum eis, quae praecedunt, contextu continuatur oratio sic: *τὸ δ' ἀπολειπόμενον τοῦδε* — supplendum est: *τοῦ ἀρίστου σώματος.* Atqui magno discrimine illa notio (*μοχθηραὶ φύσεις*) separatur ab hac (*τὸ ἀπολειπόμενον τοῦ ἀρίστου σώματος*); illa est ut ita dicam apud Galenum certa notio, qua corpora denotantur sive natura sive nescio quo casu vitiosa, huic (*τὸ ἀπολειπόμενον τοῦ ἀρίστου σώματος*) inest relatio quaedam, qua Galenus, quoniam finxerat sibi optimi corporis exemplar, comprehendere poterat etiam senes; id quod non potuisset, si notionem *μοχθηραὶ φύσεις* adhibuisset eodem atque antea sensu.

Age nunc, comparemus hanc novam dispositionem cum ea, quam supra invenimus! Videmus nullam esse dissensionem, primum nominantur vitiosae naturae (*αἱ μοχθηραὶ φύσεις*), deinde aetatem respicit (*τῷ τῆς ἡλικίας λόγῳ*). Iterum autem iterumque nobis dicendum est verisimile esse Galenum de utraque aetate cogitare: et de inclinantium et de senum aetate. Atqui in quinto libro non invenitur illa pars, qua vitiosae naturae tractantur (*αἱ μοχθηραὶ φύσεις*) nec agitur ullo loco de inclinantibus, de una senectute disputatio instituitur. Igitur permagnam partem prioris exempli remotam esse suspicabimur. Qua in re quanta inconstantia ac levitate Galenus usus sit, vix est credibile. Non id premam verbis *τῷ τῆς ἡλικίας λόγῳ* ratione libri prorsus mutata subiciendam esse mutatam vim — nec enim ad utramque aetatem, sed ad senectutem solam referenda sunt — sed ne illum quidem locum (312, 18 ss.): *ἀλλὰ νῦν γε τὰ κυριώτατα τῶν εἰρημένων ἀναλαβόντες ἐπὶ τὰς μοχθηρὰς φύσεις τῶν σωμάτων μεταβησόμεθα, δεικνύντες ὅπως ἑκάστην αὐτῶν ἐν ὑγείᾳ μάλιστα φυλακτέον ἐστίν* delevit, quibus verbis, quem cursum in hoc libro componendo servaturus esset, dilucide declaraverat.

Iam vero quoniam in quinto libro promissas partes disputationis non invenimus, circumspiciamus in sexto. Ac primum quidem dicendum est Galenum in primo huius libri capite disputationis rationem mutatam respicere. At ne forte credas eum ipsum de mutatione quidquam tradidisse: simulat operis rationem a principio sic arte consilioque institutam esse ut offeratur (382, 15 ss.): *πρῶτον οὖν ὑποθέμενοι τῷ λόγῳ τὸν ἄριστα κατεσκευασμένον ἄνθρωπον, ὅπως*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἄν τις τοῦτον ὑγιαίνοντα διαφυλάττοι, διελθεῖν προὐθέμεθα. πολλῶν δ' αἰτίων κατὰ πολλοὺς τρόπους διακοπτόντων τὴν ὑγιεινήν ἀγωγήν, ὑπεθέμεθα τὸν ἄριστα κατεσκευασμένον ἑαυτῷ σχολάζειν ἐλεύθερον ὄντα πολιτικῆς ἀσχολίας ἁπάσης. καὶ τοῦτον ὥσπερ ἄν τις ἀπὸ πρώτης ἡλικίας ἄχρι γήρως ἐσχάτου διαφυλάξειεν ὑγιαίνοντα διελθόντες ἐν τοῖς πρώτοις ὑπομνήμασι πέντε, μεταβησόμεθα νῦν ἐπί τε τοὺς κατὰ περίστασιν πραγμάτων ἀδυνατοῦντας ἐν τοῖς προσήκουσι καιροῖς ἐσθίειν τε καὶ πίνειν καὶ γυμνάζεσθαι καὶ τοὺς εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς νοσώδη κατασκευὴν σώματος ἔχοντας. Discimus igitur primum Galenum id agere, ut operis rationem mutatam celet lectores, deinde ipsum sibi placere in dispositione sua nova (*καὶ τοῦτον ὥσπερ ἄν τις ἀπὸ πρώτης ἡλικίας ἄχρι γήρως ἐσχάτου διαφυλάξειεν ὑγιαίνοντα διελθόντες ἐν τοῖς πρώτοις ὑπομνήμασι πέντε κ.τ.λ.*), post commemorari easdem fere vitiosarum naturarum (*μοχθηραὶ φύσεις*) atque in quinto libro; respondent enim inter se hae classes:

p. 319, 3 *ὅτι κακῶς ἐξ ἀρχῆς κατεσκευάσθη κυούμενον*	p. 383, 9 *τοὺς εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς νοσώδη κατασκευὴν σώματος ἔχοντας*
p. 319, 4 *ὅτι μετὰ ταῦτα πρός τινος αἰτίας εἰς τὴν παρὰ φύσιν ἦχθη διάθεσιν.*	p. 383, 7 s. (*μεταβησόμεθα νῦν ἐπί τε*) *τοὺς κατὰ περίστασιν πραγμάτων ἀδυνατοῦντας ἐν τοῖς προσήκουσι καιροῖς ἐσθίειν τε καὶ πίνειν καὶ γυμνάζεσθαι.*

Alteram classem cum ea, quae in quinto libro nominatur, non solum re sed paene verbis, quibus describatur, congruere nemo non videt, altera in sexto libro paulo fusius circumscribitur, comprehenduntur ea, ut breviter dicam, ii, qui valetudine male servata male valent. Credideris igitur oculos relapsos ad quinti libri paginas legere haec verba (313, 1): *ἐπὶ τὰς μοχθηρὰς φύσεις τῶν σωμάτων μεταβησόμεθα.* Sub notionem autem *μοχθηραὶ φύσεις* subiectas vult Galenus illas duas classes: alteram vitiosorum natura, alteram casu. Iam videtur auctor ad rem accedere (p. 384, 1): *αἱ μοχθηραὶ δὲ τῶν σωμάτων κατασκευαὶ διτταὶ κατὰ γένος εἰσίν.* Ut igitur antea quaerebat, ad quos quaeque intemperies pertineret, sic nunc discernit intemperiei duo genera: aut omnes corporis partes tenentur simili intemperie aut aliae alia. Vult autem primum agere de iis, qui simili intemperie sunt, initiumque capere a calidioribus naturis (386, 2). Sed rem priusquam aggrediatur, generatim docet omni intemperiei generi inesse inconstantiam quandam, quippe cum altera alteram necessario vitae cursu adsciscat. Itaque plurimos medicos simplicia esse intemperiei genera negavisse, affirmavisse nulla esse nisi composita. Quod si sit, fore ut qui humiditate male, calore optime temperati sint, ad optimum quendam statum (*εὔκρατον*) certo tempore accommodentur; id vero accidere maxime aetate florentibus, deinde inclinantibus.

Paulisper subsistamus: Nonne sentis atque intellegis de vitiosis naturis dici non posse nisi singulis aetatibus respectis, ut Galeni verbis utar (319, 5): *τῷ τῆς ἡλικίας λόγῳ?* Fortuna igitur et casu accidere videtur, ut iisdem verbis, quibus ille in quinto libro tertiam classem *τῶν ἀπολειπομένων τοῦ ἀρίστου σώματος* denotaverat, hoc sexti libri loco uti possimus ad eam rationem illustrandam, quam adhibuit in prima classe *τῶν ἀπολειπομένων τ.ἀ.σ.* tractanda. Quae hoc loco si ad explicandum propositum alicubi invenirentur, non classem significarent aut classes *τῶν ἀπολειπομένων τ.ἀσ.*, non pertinerent ad totius libri dispositionem, sed explicarent, quanam ratione de vitiosis natura agendum esset, pertinerent igitur ad unius partis dispositionem.

Sed redeamus, unde digressi sumus. De aetatibus Galenus adhuc sic disputaverat, ut intemperiei tractandae causa eas respectas esse intellegeremus. Nunc vero male res confundit nam p. 387, 3—389, 5 procul dubio de optimo corpore singulis aetatibus agitur, quarum quando quaeque homines superveniat, annorum numero determinatur. Delabitur sic oratio ad senectutem senumque sanitatem. Haec autem omnia, quae de aetatibus et de senectute inprimis enarrat, ut male collocata sunt cum loco tum libro respecto — nam de vitiosis naturis in sexto libro agitur —, ita dignissima sunt, quae in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

libro aliquo de senibus senumque curatione legantur. Quin in his quae hic iacta video fundamentis ponenda erat tota de senum curatione quaestio. Quam qui tractare suscipit, scire debet, quo tempore vitae senescant homines, qua valetudine in senectute optima uti soleant, quatenus ut aegritudines quaedam evitentur fieri possit. Haec omnia, ni fallor, priusquam is, qui quaestionem tractaturus est, ad rem ipsam accesserit, praefanda sunt; aut in mediam rem ire si quis forte maluerit, omittenda omnino sunt nec pravo loco in libro a re proposita alieno supplenda. Age vero, proferamus nonnulla: De inclinantium aetate, mox de senum legimus (387,14): *ἀρχήν τε τῆς παρακμῆς ἴσχουσιν ἔνιοι μὲν εὐθέως μετὰ τὸ τριακοστὸν ἔτος, ἔνιοι δὲ μετὰ τὸ τριακοστὸν πέμπτον. τὴν μὲν οὖν ἰσχὺν ἅπαντες ἄνθρωποι καθαιροῦνται μετὰ τὴν ἀκμαστικὴν ἡλικίαν, οὐ μὴν τήν γε ὑγίειαν ἀπολλύουσιν, ἀλλ' ἧττον μὲν ἐπαινετὴν ἔχουσιν ἢ πρόσθεν, ἔχουσι δ' ὅμως οὐ μόνον ἄχρι γήρως ἀρχῆς, ἀλλὰ καὶ κατ' αὐτὸ τὸ γῆρας ὅλον, ὃ δὴ δοκεῖ τισιν εἶναι νόσημα φυσικόν, ὁπόταν μήτ' ὀδυνῶνταί τι μήτε τινὰ τῶν ἐνεργειῶν, αἷς εἰς τὰς κατὰ τὸν βίον πράξεις χρώμεθα, τελέως ἀπολέσωσιν ἢ μὴ παντάπασιν ἄρρωστον ἔχωσιν, ὑγιαίνουσιν ὑγίειαν οὖσαν οἰκείαν γήρᾳ.* Similia leguntur 388,14: *ἀλλ' ἐὰν εἰς ὅσον γέροντι χρεία βλέπειν τε καὶ ἀκούειν καὶ βαδίζειν καὶ τἆλλα πράττειν δύνασθαι, μηδὲν ἐλλίπῃ τὸ σῶμα, καὶ τοῦτ' ἄν τις εἰκότως ὀνομάζοι γέροντος ὑγίειαν, ὅλον τοῦτο λέγων ὑγίειαν γέροντος, οὐχ ἁπλῶς ὑγίειαν. ἐκείνη μὲν γὰρ ἄμεμπτός ἐστι διὰ τὴν (τὴν διὰ K.) τῶν ἐνεργειῶν ἀρετήν, μεμπτή δ' ἡ τῶν γερόντων· ἔχουσα γὰρ ἁπάσας τὰς ἐνεργείας οὐδεμίαν ἐρρωμένην ἔχει.* Iam circumscribit, quid ars medica in ea parte, quae ad senum curationem pertineat, sibi proposuerit (389,3): *καὶ δὴ καὶ τὸ γηροκομικὸν ὀνομαζόμενον μέρος τῆς ἰατρικῆς σκοπὸν ἔχει τὴν γεροντικὴν ὑγείαν εἰς ὅσον οἷόν τε διαφυλάττειν.* Quae verba ut miramur non in ipso libro de senum curatione inveniri, sic magis miramur ne uno quidem verbo hunc librum — quintum dico — respici. Fortasse dixerit quispiam non deesse in quinto libro locum, quo eadem fere res agatur; nam dicere Galenum p. 330,3 ss. haec: *εἰπεῖν μὲν οὖν καὶ ταῦτα καὶ τἆλλα* (Ven. V: *τἆλλα καὶ ταῦτα*) *ῥᾷστον, ἐπιστατῆσαι δὲ γέροντι, διαφυλάττοντα τὴν ὑγείαν αὐτοῦ, τῶν χαλεπωτάτων, ὥσπερ γε καὶ τῶν ἀνακομιζομένων ἐκ νόσου. καλεῖται δὲ ὑπὸ τῶν νεωτέρων ἰατρῶν τουτὶ μὲν τὸ μέρος τῆς τέχνης ἀναληπτικόν, τὸ δὲ ἐπὶ τῶν γερόντων γηροκομικόν. καὶ δοκοῦσιν αἱ διαθέσεις ἀμφοῖν οὐ κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην ὑπάρχειν ὑγείαν, ἀλλ' ἤτοι μέσαι τινὲς εἶναι νόσου τε καὶ ὑγείας ἢ πάντως γε μὴ τῆς καθ' ἕξιν ἀλλὰ τῆς κατὰ σχέσιν ὀνομαζομένης ὑπ' αὐτῶν ὑγείας. εἴτ' οὖν νόσον εἴτε νοσώδη διάθεσιν εἴτε μέσην ὑγείας τε καὶ νόσου διάθεσιν εἴτε κατὰ σχέσιν ὑγείαν ὀνομάζειν χρὴ τὸ γῆρας, οὐ πάνυ τι τῶν τοιούτων φροντίζοντες ζητήσεων* (sic Ven. V; *ζητήσεων φροντίζοντας* Vulg., *φροντίζομεν* dubitanter Kalbfleisch; fortasse exciderunt pauca)[1] *μέχρι λόγου προερχομ(έ)ν(ων)* (sic Ven. V, *βωμολόχων προσερχομένων* Vulg.), *ἐπίστασθαι δὲ χρὴ τὴν κατάστασιν τοῦ τῶν γερόντων σώματος ὅτι ἐπὶ μικροῖς αἰτίοις εἰς νόσον μεθισταμένην ὁμοίως τοῖς ἀναλαμβάνουσιν ἐκ νόσου τὴν ἀρχαίαν ὑγείαν διαιτᾶν χρή.* Utrum igitur putas locum magis idoneum esse, quo animi discentium ad disciplinam exstruendam praeparentur, hunc quinti libri, quo res praetergreditur potius quam aggreditur, an alterum sexti libri, quo de illis distinctionibus satis spinosis cum gravitate quadam et constantia exponere non supersedet, hunc, quo incohata iam disputatione fundamenta potius repetuntur quam ponuntur, an illum, quo iacta videntur esse, hunc, quo nonnullae quidem res tanguntur neque explicantur, an illum, quo non solum de senum sed etiam de inclinantium aetate (cf. 312,13: *ἧς τὸ τελευταῖον μέρος ἰδίως ὀνομάζεται γῆρας*) generatim tractat, quo non solum notiones ac distinctiones enumerat, sed etiam de annis, de senum sanitate, quatenus conservari possit, de artis proprietate finibusque quibus contineatur, docet atque disputat? Quoquo modo res se habet, in sexto libro hunc quinti libri locum respici a verisimili abhorret, locum quinti libri memoria eius, qui exstat in sexto, revocata compositum esse non abhorret. Sed haec quidem hactenus.

Videamus nunc, quomodo illam partem, de qua agitur, ad finem perduxerit. Iam enim ad propositum revertitur (389,5 ss.): *ὅσα δὲ σώματα νοσώδη κατασκευὴν ἔσχηκεν εὐθὺς ἐν τῇ πρώτῃ γενέσει, ταῦτα τὴν ἀρχὴν μὲν οὐδ' ἀφικνεῖταί ποτε εἰς τὸ γῆρας, εἰ δ' ἀφίκοιτο, πάντα ἔν γέ τι νόσημα*

[1]) Cf. p. 86,9: *οὐδὲ γὰρ ὑπὲρ ὀνομάτων ὀρθότητος ἥκω σκεψόμενος.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

χρόνιον ἴσχει. Videsne, quanto discrimine distineantur classes illae, quas in quinto libro (319,2) latiore posita notione (τῶν ἀπολειπομένων τοῦ ἀρίστου σώματος) comprehendit? Vitiosi natura (μοχθηραὶ φύσεις) dicit fieri vix posse, ut ad senectutem perveniant, senes — hoc addimus, plerumque fiunt, qui natura optimum corporis statum nacti sint. Quo igitur propius ad rem ipsam accedit, eo accuratius classes aliquando (319,2) coniunctas discernere, eo propius ad rationem ab initio institutam (312,15 s.; 313,1) reverti cogitur. Nunc vero auctor se ipsum revocat ad rem tractandam utiturque verbis, quibus mirum in modum ad quinti libri memoriam excitamur. Nam velim compares:

313,1 s.	389,9 s.
ἐπὶ τὰς μοχθηρὰς φύσεις τῶν σωμάτων μεταβησόμεθα, δεικνύντες ὅπως ἑκάστην αὐτῶν ἐν ὑγείᾳ μάλιστα φυλακτέον ἐστίν.	προὐθέμεθα δ' ἐν τῷ νῦν λόγῳ περὶ τῶν μοχθηρὰν ἐχόντων κατασκευὴν διελθεῖν, σκοποῦντες ὅπως ἄν τις αὐτὰ φυλάττοι κατὰ τὸ πλεῖστον ὑγιαίνοντα.

Reiecti igitur sumus in quintum librum, ad eum locum, quo recognito nobis persuaseramus uno libro actum iri primum de vitiosis naturis, deinde de inclinantium senumque aetate. Deinde — ut quem cursum tenuerimus, paucis notem — illam priorum capitum repetitionem (p. 313—318) praetergressi perveneramus ad alterum locum, quo tres classes τῶν ἀπολειπομένων nominatas esse videbamus. Sed tum magnopere offenderamus, quod auctor ab ratione instituta discedens de improviso ad disputationem de senum curatione deflexerat. Promissas, sed omissas ut investigaremus partes, sextum librum adire animum induximus. Ac primum quidem animadvertimus Galenum ipsum sibi placere in nova dispositione enarranda, quam re vera in his libris componendis secutus est, deinde in partem quandam incidimus, in qua agit ille generatim:

I. de intemperiei vario genere eiusque inconstantia singulis aetatibus observanda.

II. de corpore natura optimo, quale sit cum reliquis aetatibus, inprimis aetate inclinantium, tum in senectute.

Atqui hae partes respondent illi priori rerum distributioni, quam fore in quinto libro pronuntiaverat. Igitur invenisse nobis videmur partem illius prioris libri, quem aliquando Galenus composuerat; quae pars in prooemii loco videtur fuisse. De hac re nunc dicendum est.

Nam prooemiis lectorum animi praeparari solent, ut qua ratione nixus auctor res tractandas iudicaturus sit praesagiant. In hoc autem priore libro, cuius rationem aliquando instituerat, sibi proposuerat auctor, ut de vitiosis naturis et de inclinantium senumque aetatibus ageret. Itaque verisimile est in prooemio utramque classem respici. Sunt autem, quicunque vitiosi sunt, propter intemperiem aliquam vitiosi. Docet igitur auctor ad libros de temperamentis lectores delegans omnem intemperiem insignem esse inconstantia quadam, quam observari liceat singulis aetatibus. Ad hanc rationem illustrandam notio aetatis partitioni quam vocant logici subicienda est; nam ita auctor de unaquaque intemperie agere debebit, ut quomodo quaeque singulis aetatibus mutetur demonstret. Male autem accidit, ut duae aetates — dico inclinantium et senum aetates — in classium numero ducantur; nam notio: τὸ ἀπολειπόμενον τοῦ ἀρίστου σώματος divisione quam logici vocant adhibita divisa est in duas classes, quarum unam continent vitiosae naturae (I. vitiosi natura II. occupati), alteram inclinantes senesque. Quod cum ita sit, inveniuntur et in partitione et in divisione aetates. Facile nunc intellegimus errori et confusioni late patere aditum ad hunc locum. Galenus quidem minime vitavit periculum; nam partitionis laqueis irretitus eum locum clare ac distincte designare neglexit, quo de altera divisionis parte, de inclinantibus dico et senibus, generatim explicare incipit. Deprenditur nisi fallor aperte peccatum in verbis (387,3): ὡς ἐκείνοις πρέπει scil. τοῖς καιροῖς (dicit enim de aetatibus florentium et inclinantium). At de male temperatis agitur; qui si iis aetatibus meliorem corporis statum assequuntur, accidit fortuna et casu vel potius propria intemperiei natura, minime ideo, quod his aetatibus ii, qui optimo corporis statu sunt, maxime valere solent. Iam vero hac prava trans-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gressione usus ad alteram classem accedit, scilicet eorum, qui etsi optimo corporis statu sunt, inclinata aetate deficere incipiunt.

Sic partitione cum divisione confusa iunctura partium paene oblitterata facile fieri poterat, ut tum cum ex uno libro duos efficiendos curavit, deerraret. At ille qua est incuria, ne omnino hac in re tempus diligentiamque non adhibuerit, magnopere metuo, nos autem qui id spectamus, ut et auctoris sententiarum ordinem persequamur et prioris libri naturam et indolem perspiciamus, ambagum modo lucri quid auferamus non pigebit. Ac mihi quidem persuasum est totam partem fere inde a verbis (386, 3): *λέλεκται δ' ἐν τοῖς περὶ κράσεων κ. τ. λ.* usque ad verba (389, 10): *ὅπως ἄν τις αὐτὰ φυλάττοι κατὰ τὸ πλεῖστον ὑγιαίνοντα* aliquando prioris libri fuisse. Ille igitur, cum capita de senum curatione refigere animum induxisset, debebat iis praefigere omnia, quae in prooemio generatim de aetate ac sanitate senum et de arte medica, ad quem finem spectaret in curatione senibus adhibenda, exposuerat.

At ego ratus eam partem, quam de inclinantium aetate composuisset Galenus, indagari posse maxime adductus sum, ut sexti libri paginas perscrutarer. Sed dicendum est eam partem deesse in utroque libro; quod cur miremur esse non videtur. Nam ut illa aetas in prooemio illo, quod dico, generatim describitur et ita describitur, ut verba 312, 14 (*πλὴν τῆς παρακμαστικῆς καλουμένης, ἧς τὸ τελευταῖον μέρος ἰδίως ὀνομάζεται γῆρας*) optime respecta videamus, ita tractatur in ea parte, quae de vitiosis natura est, inprimis ac potissimum. Atqui nostra coniectura illa pars de vitiosis naturis tempore antecedit partem de senum curatione. Ex quo facile intellegitur nil fere fuisse, quod de inclinantium adderetur aetate.

Sed loquor de rebus nondum actis, tanquam si actae sint. Video enim primum inspiciendam esse illam partem, qua de intemperiei vario genere singulis aetatibus penitus respectis exponatur; quae quoniam latius patet quam ut exscribatur, satis habeo nonnullos locos proferre ad aetates pertinentes; de calidioribus dicit ille (390, 4): *ἐπειδὰν δὲ τὴν τῶν μειρακίων ἡλικίαν διεξέλθῃ, τὸ μεταξὺ πᾶν ἄχρι τῆς παρακμῆς σαφῶς πλέον ἤδη φανεῖται θερμόν, ὡς τοῖς ἀπὸ ξανθῆς χολῆς νοσήμασί τε καὶ συμπτώμασιν εὐάλωτον ὑπάρχειν.* 390, 9: *οὔσης δὲ καὶ τῆς τῶν ἀκμαζόντων ἡλικίας θερμῆς κ. τ. λ.* 390, 12: *τοὺς οὖν οὕτως πεφυκότας ἄχρι μὲν τῆς τῶν μειρακίων ἡλικίας ὁμοίως χρὴ τοῖς ἄριστα πεφυκόσιν διαιτᾶν . . . ἐπειδὰν δὲ τέλειον αὐτῶν ᾖ τὸ σῶμα, διασκέψασθαι προσήκει, πότερον ὑπέρχεται τὸ περιττὸν τῆς χολῆς αὐτοῖς ἅμα τοῖς διαχωρήμασιν ἢ πρὸς τὴν ἄνω κοιλίαν ὁρμᾷ.* 391, 10: *καὶ γὰρ μᾶλλόν εἰσι οὗτοι χολώδεις ἐπὶ τῆς ἀκμαστικῆς ἡλικίας.* 396, 7: *ἐναργέστερον δέ σοι τεκμήριον καὶ αἱ ἡλικίαι γινέσθωσαν, αἱ μὲν ἀπὸ τῆς πρώτης γενέσεως ἄχρι τῶν μειρακίων ὑγροτάτην ἔχουσαι τὴν σάρκα, ξηρὰν δὲ ἱκανῶς αἱ πρεσβυτικαί.* Sequitur plenior paene de senectute locus quam qui exstat in quinto similis, ita ut denuo mireris, quod alter alterum non respicit:

350, 15 s.:	396, 12 s.:
ὅσοι δ' ἐκ τοῦ τῶν περιττωμάτων πλήθους ἀπατηθέντες ἀδιορίστως ἀπεφήναντο, τὴν τῶν γερόντων κρᾶσιν ὑπάρχειν ὑγράν, οὗτοι περὶ τὸν πρῶτον εὐθέως ἐσφάλησαν σκοπόν . . . 350, 9: *γεγυμνασμένος γάρ τις τὸν λογισμόν, ἀκούσας τὸ τοῦ γέροντος σῶμα κατὰ μὲν αὐτὰ τὰ μόρια ψυχρὸν καὶ ξηρόν, ἐμπίπλασθαι δὲ ῥᾳδίως ὀρρωδῶν τε καὶ φλεγματωδῶν περιττωμάτων κ. τ. λ.*	*ὅπως μή τις ὑπολάβῃ τοὺς ὑπὸ περιττῶν ὑγρῶν βαρυνομένους ὑγροὺς γίνεσθαι τὴν κρᾶσιν, ὃ καὶ τοὺς οἰηθέντας ὑγρὸν καὶ ψυχρὸν εἶναι τὸ γῆρας ἐξηπάτησεν. οὐ γὰρ αὐτὰ τὰ μόρια τοῖς γέρουσιν ὑγρότερα ταῖς κράσεσίν ἐστιν, ἀλλὰ αἱ μεταξὺ τῶν σωμάτων χῶραι τῆς περιττῆς ὑγρότητος ἐμπίμπλανται γερόντων τε καὶ νοσούντων νόσους ὑγράς.*

397, 13: *πάντων γὰρ ἐν τῇ παρακμῇ ξηραινομένων εὔλογόν ἐστι τὸ φύσει ξηρότερον εἰς τὴν τῆς γεροντικῆς ἀμετρίας ξηρότητα ἀφικνεῖσθαι θᾶττον.* 398, 10: *ἅπερ οὖν ἐπήνηται διαιτήματα τοῖς θερμοῖς τὴν κρᾶσιν ἐπὶ τῆς ἀκμῆς κ. τ. λ.* 400, 7: *οἱ ὑγρότατοι . . . ὑγιαίνουσιν, ἐπειδὰν κρατυνθῇ τὸ σῶμα, τῶν ἄλλων μᾶλλον, ὥσπερ καὶ ἰσχυρότεροι μέχρι γήρως ἐσχάτου τῶν τὴν αὐτὴν ἡλικίαν ἐχόντων εἰσί.*

Nonne vides totum locum *τῷ τῆς ἡλικίας* (= *τῶν ἡλικιῶν*) *λόγῳ* compositum esse? Eadem verba, ut supra dixi, ratione quadam valent in partitione, eadem in divisione. Confusione autem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

facta inclinantium aetati proprium locum in disputatione iam non concessit nec potuit fusius de illa aetate agere, qua homines aut sunt simili corporis statu atque florentes aut parum differunt a senibus.[1])

Quid igitur lucri fecimus? Clare ac distincte Galenus pronuntiaverat se primum de vitiosis naturis acturum esse (312,18: *ἀλλὰ νῦν γε τὰ κυριώτατα τῶν εἰρημένων ἀναλαβόντες ἐπὶ τὰς μοχθηρὰς φύσεις τῶν σωμάτων μεταβησόμεθα κ. τ. λ.*), paulo ante promiserat in eodem libro partem de senum curatione fore (312,16: *ὡς ὕστερον εἰρήσεται κατ' ἐκεῖνο τοῦ λόγου τὸ μέρος, ἔνθα τὸ καλούμενον τῆς τέχνης γηροκομικὸν μέρος εἰς διδασκαλίαν ἄξομεν*); id quoque concesserat de inclinantium aetate, cuius esset extrema pars senectus, se nondum docuisse (312,14: *πλὴν τῆς παρακμαστικῆς καλουμένης, ἧς τὸ τελευταῖον μέρος ἰδίως ὀνομάζεται γῆρας*). Iam nemo non videt hanc instituendi libri rationem a Galeno non observatam esse. Atqui observatur in sexto, cui, modo removeatur eius extrema pars (419—450), annexum si obsecro te quintum finxeris, omnia fere erunt plana ac sincera. Nam in sexto libro invenitur illa pars, quam disputationis primam fore dixerat, antecedit altera pars, quae quod totius materiae huic libro destinatae capita quaedam continet, prooemii loco duci potest. Iam in utraque parte inclinantium aetatis saepius ratio habetur, ita ut facile intellegamus nil fere quod addatur requiri.

Quae cum ita sint, constat Galenum quae in duo volumina dispertita hodie legimus, ea uno volumine complecti aliquando voluisse et iam nunc ad eam adducimur sententiam, ut tempus si respexeris dimidiam fere partem sexti libri antecedere quintum librum dicamus.

Sed haec hactenus! Denuo enim in hanc quaestionem mihi inquirendum erit, ubi primum nova vestigia huic libro impressa animadverterimus. Revertamur nunc ad propositum, persequamur, qui sit sententiarum ordo in capite tertio.

Incipit igitur de senum curatione docere his verbis Galenus (p. 319, 7): *οἷον αὐτίκα τὸ γῆρᾶς ἐστι μὲν ψυχρὸν καὶ ξηρὸν ὡς ἐν τοῖς περὶ κράσεων ἐπιδέδεικται λόγοις.* Id autem spectat hoc capite, ut generatim de curatione senibus adhibenda praecepta tradat. Ac primum quidem primae illi quam ipse statuit legi satisfacit, scilicet ut natura corporum dignoscatur, cum temperationem senum esse frigidam et siccam ponit. Quodsi pergit: *ἐπανόρθωσις δ' αὐτοῦ (τοῦ γήρως) διὰ τῶν ὑγραινόντων τε καὶ θερμαινόντων,* alteram respicit, quam ad auxiliorum vires pertinere cognovimus. Constat autem a quibusdam medicis veteribus[2]) auxiliorum genera distincta esse quattuor: *προσφερομένων,* quae ad nutritionem, *ποιουμένων,* quae ad motionem sive exercitationem, *κενουμένων,* quae ad

---

[1]) Multa de inclinantium aetate tradidit Galenus in libro *περὶ μαρασμοῦ*, quem laudatum videmus 397, 1 ss.: *ὁποῖον δέ τι τὸ ξηρὸν νόσημά ἐστιν, ἐπιστημονικὴν ἕξει γνῶσιν τὸ γεγραμμένον μοι περὶ μαρασμοῦ βιβλίον ἐπιμελῶς ἀναγνοὺς οὐχ ἅπαξ ἢ δὶς οὐδὲ παρατρέχων, ἀλλ' ἐφιστὰς καὶ προσέχων τὸν νοῦν ἑκάστῳ τῶν λεγομένων.* Eundem in quinto libro bis eodem loco (357,7: *ὡς ἐν τῷ περὶ μαρασμοῦ λέλεκται γράμματι*, ibid. l. 12: *καὶ προσέτι τοῦ περὶ μαρασμοῦ γράμματος*) commemoratum esse Ilbergii nisi fallor diligentiam fugit. (Cf. Mus. Rhen. 51, 188: Zwischen die beiden Teile der *ὑγιεινὰ* muß schließlich auch die Abfassung des Büchleins *περὶ μαρασμοῦ* gesetzt werden ... Im Buche *π. μαρασμοῦ* wird das erste der *ὑγιεινὰ* zitiert, im sechsten der *ὑγιεινὰ* aber *περὶ μαρασμοῦ*). Locum supra exscriptum in priore confectione non fuisse, sed posteriore tempore insertum esse paene constat. Nam dicit de rat. med. X (10) 720,1: *ἐδείχθη ... ἐν τῷ τῆσδε τῆς πραγματείας ἑβδόμῳ γράμματι, δέδεικται δὲ κἂν τῷ περὶ μαρασμοῦ βιβλίῳ καὶ πρὸ τούτων ἔτι κατὰ τὴν ὑγιεινὴν πραγματείαν κ. τ. λ.* Nisi fallor didicit Galenus studiis in id morborum genus collatis senium una in intemperie sicca et frigida positum esse. Nam post librum *π. μ.* editum eum neglexisse *τὸ γηροκομικὸν μέρος τῆς τέχνης* apparebit infra. Nonnulla quae ad inclinantium aetatem pertinent afferre liceat: VII, 679, 2: *ἀλλ' ἡ μὲν παρακμὴ βραχεῖαν ἔχουσα τὴν ξηρότητα λανθάνει τοὺς πολλούς, ὡς οὐδέπω μαρασμός τις οὖσα· τὸ δὲ γῆρας οὐ τῷ γένει διαφέρον αὐτῆς, ἀλλὰ μόνῃ τῇ ποσότητι κατάφωρον γίνεται* (Cf. de san. t. 312,14: *πλὴν τῆς παρακμαστικῆς καλουμένης, ἧς τὸ τελευταῖον μέρος ἰδίως ὀνομάζεται γῆρας*) VII, 680, 9: *ὅροι δὲ σαφεῖς ἐπὶ ταῖς τοῦ παρακμάζοντος ἡλικίαις καὶ ταῖς τοῦ γέροντος ἡ τῶν ὑγρῶν ἐπικράτησις περιττωμάτων κ. τ. λ.* ibid. 680,12: *ἡ τέως λανθάνουσα τῶν παρακμαζόντων ἐπὶ θάνατον ὁδὸς ἐναργῶς καταφαίνεται τηνικαῦτα.*

[2]) De auxiliis (*π. βοηθημάτων*) scripserant Herodotus (Wellmann, Die pneumat. Schule p. 15) et Antyllus (ibid. p. 114).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

evacuationem spectant, denique *ἔξωθεν προσπιπτόντων*, quaecumque extrinsecus corpori adferuntur. Quas notiones etsi hoc quidem loco reticuit Galenus, rerum tamen nullam desiderabis nisi quae *τὰ κενούμενα* efficiunt. Nec vero erit, cur miremur auxiliorum quae ad evacuationem spectant nullam fieri mentionem, si respexerimus ea, quae *Ὑγ.* I p. 79 leguntur: *τάχα γὰρ ἦν βέλτιον ὑπὸ μὲν τῶν προσφερομένων καὶ ποιουμένων καὶ προσπιπτόντων ἔξωθεν ἀλλοιοῦσθαί τε καὶ μετακοσμεῖσθαι φάναι τὰ κατὰ τὸ σῶμα, τὴν μεταβολὴν δ' αὐτῶν γίνεσθαι κατά τε τὸ ποιὸν καὶ κατὰ τὸ ποσόν, καὶ κατὰ μὲν τὸ ποιὸν ἐν τῷ θερμαίνεσθαι καὶ ψύχεσθαι καὶ ξηραίνεσθαι καὶ ὑγραίνεσθαι, κατὰ δὲ τὸ ποσὸν ἐν τῷ τρέφεσθαι καὶ κενοῦσθαι.* Ac saepius observare licet Galenum, cum de auxiliis in classes dispertiendis dixerit, dubitatione quadam non vacare nec ipsum sibi satis constare, velut hoc loco tres classes videtur denotare, quattuor autem enumerat altero huius libri loco (p. 358, 5). Sunt autem procul dubio affinitate quadam coniuncta auxilia *τῶν προσφερομένων* et *τῶν κενουμένων* nec facile distinguuntur. Sed satis cum habeat nonnulla ceterorum auxiliorum nominavisse, de quibusdam *τῶν ποιουμένων* generibus pauca praemonet, id quod tanquam excusat ipse Hippocratis verba adferens: *ἀπὸ τούτων γὰρ ἄρξασθαι βέλτιον, ἐπειδὴ καλῶς εἴρηται τοὺς πόνους τῶν σιτίων ἡγεῖσθαι* (cf. p. 369, 10: *οἴονται δ' ἔνιοι καὶ Ἱπποκράτην παραινεῖν· πόνους γὰρ σιτίων ἡγεῖσθαι κατὰ τοὺς ἀφορισμούς.*[1]) Non autem nec illo Hippocratis dicto nec versu illo Homerico, quem mox laudat, tam adducitur, ut primum de frictione matutina, deinde de gestationibus et inambulationibus praemoneat, quam quod has ipsas motiones senibus et accommodatissimas et utilissimas existimat. Idcirco altera re iam acta repetit expresse (p. 321, 9): *ἓν μὲν δή σοι τοῦτο καθάπερ τι γυμνάσιον ἔστω τοῖς γέρουσιν ἔωθεν γιγνόμενον ἡ μετ' ἐλαίου τρῖψις,* et ad alteram transiens pergit: *ἐφεξῆς δὲ περίπατοί τε καὶ αἰωρήσεις ἄκοποι, στοχαζομένῳ τῆς τοῦ γέροντος δυνάμεως.* Iam paulisper subsistamus! Reliqua quae Galenus in hac parte voluerat collocare, si iniqua fortuna perissent, quanam ratione ex auctoris sententia suppleremus lacunam? Nimirum ut ille de frictione senibus adhibenda praecepta nonnulla dedit, ita de gestationibus et inambulationibus pauca addidisse putandus est. Extremis autem verbis: *στοχαζομένῳ τῆς τοῦ γέροντος δυνάμεως* si quid attribueris, possis suspicari auctorem statuere voluisse, cum viribus impares inter sese essent senes, non omnibus pariter instituenda esse omnia exercitia. At nunc quaeso inspice textum, qualem quo loco substitimus apud Kuehnium continuatum invenias. Post verba, quae modo exscripsimus, leguntur haec: *διόπερ ἡμῖν εἴρηται πρόσθεν περὶ ἐδεσμάτων τε καὶ πομάτων οὐκ ὀλίγα.* Quod enuntiatum hoc loco positum procedat, qui defendere audeat! Nemo enim, qui quidem mihi itineris socius comesque exstiterit, ignorat nullam adhuc nec de pastu nec de potu institutam esse disputationem, nisi forte quae supra (p. 319, 11) leguntur verba: *οἴνου πόσις ὅσαι τε τῶν τροφῶν ὑγραίνειν τε ἅμα καὶ θερμαίνειν πεφύκασι,* ea respicere Galenum affirmare cogitat. Sed res est apertior, quam quae argumentis quibus abundat confirmetur. Ad rerum contextum qua sententia nobis opus esset, supra explanavimus; quare quoad tale quid nobis occurrat, ut iter persequamur, suadeo. Ac ne punctum quidem temporis incerti manemus, de quanam re auctor acturus sit, qui addat: *παραδείγματος δ' ἕνεκεν καὶ νῦν εἰρήσεται περὶ τῶν γυμνασίων.* Desertam igitur et abiectam videmus iacere illam disputationis partem, qua generatim de curatione senibus adhibenda praecepta dare instituerat, de improviso incidimus in illam totius libri partem, qua *τὰ ποιούμενα* tractantur; quod invito Galeno quantopere fiat, elucet comparato loco p. 333, 3: *ἐγυμνάζετο τε τὰ πρέποντα γέροντι γυμνάσια, περὶ ὧν τῆς ἰδέας ὀλίγον ὕστερον εἰρήσεται.* Promittit igitur Galenus p. 333 se id facturum esse, quod inde ab pagina 321—329 si non absolvit, at tamen luculentissime tractat; uno verbo: res absurda est. Quae quoquo modo se habet, in praesentia satis habemus notare locum; pergamus igitur sententiarum ordinem persequi et videamus, quae sententiae in hac *τῶν ποιουμένων* parte proferantur. Prioribus quam brevissime repetitis (321, 15: *ὑπὲρ ὧν* [scil. *τῶν γυμνασίων*] *ἐμάθομεν ἔμπροσθεν, ὡς τὰ μὲν ὀξέα — προσαγορεύουσιν δ' οὕτως, ὧν αἱ κινήσεις ταχεῖαι — λεπτύνει τὸ σῶμα, τὰ δ' ἐναντία παχύνει, καὶ πολλὰ μὲν ξηραίνει, τὰ δὲ μέτρια σαρκοῖ*) statuitur

[1]) Locum, ad quem spectat, non inveni in Aphorismis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

exercitationes senibus idoneas triplici[1]) deliberatione deligendas esse: primum respiciendum esse uniuscuiusque corporis statum, deinde consuetudines, denique passiones, quibus quis forte infestetur; quarum rerum seorsum agitur de unaquaque. Quod ad corporis statum attinet, affert multa, quae a recta natura recedant, nulla adiecta adnotatione, nisi quod addit facile fieri, ut exercitationibus, quae per vocem administrentur, thorax, iisque, quae per inambulationem fiant, crura laedantur (322, 15): *ἐν μὲν γὰρ τοῖς διὰ τῆς φωνῆς γινομένοις ὁ κακῶς παρεσκευασμένος θώραξ, ἐν δὲ τοῖς διὰ τῶν περιπάτων τὰ σκέλη βλάπτεται.* Ac re vera postquam et de consuetudine et de passionibus respiciendis praecepta dedit, ad primam partem reversus iterato illo praecepto, ut ne senum infirma membra exercitationibus subicerentur (cf. p. 323, 6: *τὰ δ' εἰς ὑγείαν διαφέροντα τῷ γέροντι γυμνάσια διὰ τῶν ἰσχυροτέρων χρὴ ποιεῖσθαι μορίων* cum p. 326, 2: *τὸ δὲ μὴ γυμνάζεσθαι τοῖς ἀσθενέσι μορίοις ἐπὶ γέροντος μόνον συμβουλεύω*), ostendit rem longe aliter se habere et puerili et iuvenili aetate. Quod quo melius demonstret, primum exemplum fictum, mox enarrat pueri curationem, cuius crura gracilia in concinnum modum redegerit. Nunc finge quaeso Galenum ut crurum ita thoracis exemplum vel componere voluisse vel curationem enarrare, nonne haec res uno in hoc contextu ponenda fuit? Res quae memoria teneatur non indigna videtur, nam hercle thoracis exemplum satis longo spatio a crurum remotum infra (p. 358) invenitur.

Sed redeamus, unde aberravit oratio! Enarrato illo crurum exemplo pauca addit, quibus qua ratione bracchia cubitaque infirma integris cruribus curanda sint ostendit; qua in re quae per manus fiunt exercitationes sunt petendae, fugiendae quae per crura. Iam procedit oratio hoc modo (p. 329, 8 ss.): *αἵ γε μὴν τρίψεις καὶ πιττώσεις ὁμοίως γενέσθωσαν ὅσα τ' ἄλλα περὶ τῶν κατὰ σκέλη λέλεκται γυμνασίων. οὐ γὰρ μικρά τίς ἐστιν ἐν αὐτοῖς διαφορά, τινῶν μὲν ἐσχάτως ἀρρώστων εἰς τὰς κινήσεις ὄντων, εἰ καὶ μηδέπω τύχοιεν ἑβδομηκοντοῦται τὴν ἡλικίαν* (sic Ven. V, *εἰς τ. ἡ.* K.) *ὄντες, ἐνίων δὲ πολὺ ῥωμαλεωτέρων ἢ κατὰ τούσδε γεγονότων ἔτη πλείω ἢ ὀγδοήκοντα* (*ἐτῶν πλειόνων ἢ ὀ.* Ven. V)· *τοὺς μὲν* ⟨*οὖν* Kalbfl.⟩ *ἀσθενεστέρους αἰωρεῖν μᾶλλον ἢ περιπατεῖν κελεύων κινήσεις, τοὺς δ' ἰσχυροτέρους δι' ἀμφοτέρων γυμνάσεις* (sic Marc. M, *δι' ἀμφότερα γυμνάσαντα* K.), *ἄξεις δὲ* (sic Ven. V Marc. M, *ἄξαντά τε* K.) *πρὸς τὴν δευτέραν τρῖψιν οὐχ ὁμοίως ἀμφοτέρους, ἀλλ' ἀεὶ τὸν ἀρρωστότερον θᾶττον. ἔστω γάρ σοι καὶ* (deest K.) *τοῦτο τῶν κοινοτάτων παραγγελμάτων, ἐπὶ μὲν ἀσθενοῦς δυνάμεως ἀνατρέφειν τὸ σῶμα πυκναῖς καὶ βραχείαις τροφαῖς, ἐπὶ δὲ ἰσχυρᾶς ἀραιαῖς καὶ πολλαῖς.* Ad senes igitur iam non reductus, sed reiectus es, perturbatum esse sententiarum ordinem nemo non videt. At recordare, quaeso, quanam ratione eam quam supra statuimus lacunam supplendam esse dixerimus. Quid? Omnia, quae desideravimus, nonne praesto sunt? Cum senum vires variare dicit, explicat verba *στοχαζομένῳ τῆς τοῦ γέροντος δυνάμεως* nec neglegit de inambulationibus gestationibusque adhibendis praecepta quaedam addere. Ac diximus Galenum hoc capite de senum curatione generatim exponere voluisse: adicit revera clausulam ex maxime communibus praeceptis (*τῶν κοινοτάτων παραγγελμάτων*) unum adferens. Quae cum ita sint, omnia plana erunt, si post verba (p. 321, 12): *στοχαζομένῳ τῆς τοῦ γέροντος δυνάμεως* depromptis et reservatis quae apud K. p. 321, 14—329, 8 leguntur omnibus posueris: *οὐ γὰρ μικρά τίς ἐστιν ἐν αὐτοῖς διαφορά κ. τ. λ.* Numerantur autem qui pravo collocati sunt loco in editione Kuehniana versus 136.

De cap. IV. Quartum caput si oculis ac mente perlustraveris, auctorem particulae potius quam partis clausulam conscripsisse dixeris. Nam pergit Galenus de senum curatione generatim docere. Exponitur difficillimam rem esse custodire senum sanitatem, quippe qui levissima causa summum capiant detrimentum aeque atque ii, qui ex morbo convalescant; a medicis recentioribus illam artis partem appellatam esse *γηροκομικὸν μέρος*, hanc *ἀναληπτικόν*. Perstringuntur deinde eorum conata, qui senectutis naturam circumscripte definire periclitati sunt. Quo facto monet frictionem senibus cautissime faciendam esse et anxie praecavendum, ne nutrimenti aut in quantitate aut in qualitate quid peccetur. Iam ut absolvat eam, quae ad universum rei spectet partem, primum producens senem octogenarium,

[1]) 322, 5: post verba *τοῦ σώματος ὅλου διαθέσει* omissa sunt primum in Charteriana, deinde apud Kuehnium verba *καὶ τοῖς ἔθεσι*, quae supplenda esse C. Kalbfleisch nixus Linacri translatione coniecit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Antiochum medicum, deinde centenarium, Telephum grammaticum, qua quisque eorum diaeta cotidie usus sit, enarrat. Nunc vero omnibus quae generatim erant agenda actis ad singula dirigit disputationem Galenus.[1]) Quinto igitur capite vinorum altera commendantur, altera reiciuntur, sexto De cap. V. ciborum varia genera tractantur; remedia si quando cibis minus idoneis sumptis obstructionis peri- De cap. VI. culum exstiterit, adduntur. At septimum caput paulo accuratius examinandum est. Id divisum esse De cap. VII. in partes tres facile cognosces; prima de panium comparatione senibus idonea agitur, altera de lactis qualitate et usu, tertia ordiens ab excusatione longae de vino ac lacte disputationis quamnam in reliqua libri parte conficienda rationem secuturus sit pronuntiat. In hac tertia parte deprehenditur nisi fallor locus ab auctore posteriore tempore insertus. Excusat Galenus longam de vini et lactis usu disputationem his verbis (347, 14): *ἐπεὶ δ' ἔστιν ὅτε διὰ τὴν τῶν* (sic codices; deest *τῶν* K.) *πολλῶν ὀλιγωρίαν οὐχ ὑπομενόντων ἀναγιγνώσκειν τὰ* (deest Ven. V) *βιβλία, δι' ὧν ἐπὶ πλέον ὑπὲρ τῆς τῶν βοηθημάτων ὕλης λέλεκται, μηκύνειν ἀναγκαζόμεθα πολλάκις, εἰκότως ἄν τις* (sic Ven. V) *ἡμῖν* (sic Marc. M R; *ἡμῶν* Ven. V) *καὶ νῦν συγγνοίη* (*καὶ νῦν τις συγγνοίη* R Marc. M) *τοῦ τρόπου* (sic Ven. V; *τῷ τρόπῳ* ceteri) *τῆς διδασκαλίας, οὐ κατὰ τὴν ἀκριβῆ βραχυλογίαν ἐπὶ ταῖς καθόλου μεθόδοις προερχομένης.* Quaerenti mihi, quinam sint illi libri, *δι' ὧν ἐπὶ πλέον ὑπὲρ τῆς τῶν βοηθημάτων ὕλης λέλεκται,* — si omnino suos denotaverit Galenus — collatis cum aliis multis locis tum eo, qui exstat in libro *πρὸς Πατρόφιλον π. συστάσεως ἰατρικῆς* (K. I, 271): *πλεῖστα δὲ περὶ τῆς ἐν τούτοις ἅπασι μεθόδου κατὰ τὴν περὶ φαρμάκων πραγματείαν λέγεται* (K. *λέγονται*), verisimile videtur hoc quidem loco illud opus designatum esse. Galenus igitur tum, cum ea scripsit, compensasse sibi videbatur ea, quae aut ipse in opere *π. φαρμάκων* aut si mavis alii nescio quo loco de vino et lacte egissent. Sed in proximo enuntiato multo severior sententia invenitur. Auxit enim postulata sua auctor nec iam satisfacere ei videntur ne ea quidem, quae de vini ac lactis usu *'μακρότερον'* disputavit: *ἰστέον γε μὴν ὡς ἀδύνατόν ἐστιν ἀμέμπτως χρήσασθαι ταῖς γραφομέναις ὕλαις ἐκ μόνων τῶν τοιούτων λόγων, οἵους καὶ νῦν εἶπον ὑπὲρ οἴνου τε καὶ γάλακτος, ἀλλὰ χρὴ τὸν ἄριστα μεταχειριούμενον αὐτὰς ἰδίᾳ πρότερον ὑπὲρ ἑκάστης μεμαθηκέναι τὸν οἰκεῖον λόγον, ἐν ᾧ τήν τε κοινὴν τῆς ὕλης δύναμιν ἐπισκεπτόμεθα καὶ τὰς κατὰ μέρος ἐν αὐτῇ διαφορὰς ἄχρι τῶν ἐσχάτων εἰδῶν* (*μέχρις ἐσχάτων εἰδῶν* Ven. V). Ac primum quidem certum mihi videtur esse hoc loco alios atque antea libros denotari; nam verbis *ταῖς γραφομέναις ὕλαις* consentaneum est eum comprehendere cum alias omnes materias tum vini lactisque, neque, cum dicit *χρὴ τὸν ἄριστα μεταχειριούμενον αὐτάς,* remotas vult illas duas, in quibus describendis maxime desudavit, species: vinum dico et lac. Igitur si antea (347, 15) verbis *τὸ βιβλία, δι' ὧν ἐπὶ πλέον ὑπὲρ τῆς τῶν βοηθημάτων ὕλης λέλεκται* libros ab aliis conscriptos designaverit, certum hoc loco est proprios denotari; sin autem loco laudato opus *π. φαρμάκων* intellectum voluerit, dicendum est verba (348, 7): *τὰς κατὰ μέρος ἐν αὐτῇ διαφορὰς ἄχρι τῶν ἐσχάτων εἰδῶν* non quadrare nec ad ea quae de vino nec quae de lacte leguntur in libris *περὶ φαρμάκων.* Id igitur mihi quidem constat alios libros denotari p. 347, 16, alios p. 348, 7. At id ipsum subit mirari angustissimo interiecto spatio libros a prioribus diversos commemorari, praesertim cum aucta videantur auctoris postulata. Nec enim iam sufficiunt illi libri, quibus *ἐπὶ πλέον ὑπὲρ τῆς τῶν βοηθημάτων ὕλης λέλεκται,* sed adhibendi sunt ii, qui contineant *τὸν οἰκεῖον λόγον, ἐν ᾧ τήν τε κοινὴν τῆς ὕλης δύναμιν ἐπισκεπτόμεθα καὶ τὰς κατὰ μέρος ἐν αὐτῇ διαφορὰς ἄχρι τῶν ἐσχάτων εἰδῶν.* Suspicor igitur tum cum ad libros priore loco laudatos lectores delegaverit Galenus, nondum fuisse, quos posteriore commemoratos videmus. Accedit quod aliter medici, prout res postulat, agunt de materia medicamenti loco sumenda, aliter de eadem nutritionis causa a sanis cotidie adhibenda, velut ipse Galenus dicit (*π. τρ. δ.* VI 743, 15): *ἃς γὰρ Ἱπποκράτης δυνάμεις* (scil. *τοῦ οἴνου*) *εἶπεν ἐν τῷ περὶ διαίτης ὀξέων, οὐχ ὡς τροφῆς εἰσιν, ἀλλ' ὡς φαρμάκου μᾶλλον.* Quamquam opus *π. φαρμάκων* ita a Galeno institutum esse, ut non solum medicamentorum, sed etiam nutritionis ratio haberetur nemo non concedet. Quare,

---

[1]) (334, 1): *ὥσπερ δὲ τοῖς παισὶν ὁ οἶνος ἐναντιώτατός ἐστιν, οὕτω τοῖς γέρουσι χρησιμώτατος,* haec loquendi formula in transgressionibus est usitata Galeno.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quoad deerat opus *π. τροφῶν δυνάμεως*, lectores erant delegandi ad libros *π. φαρμάκων*, a quibus consilium peterent. Sed edito illo *π. τρ. δ.* opere facere non potuit Galenus, quin ad id lectorum animos converteret, praesertim cum non de medicamentis, sed de cibis potionibusque a sanis sumendis in hoc capite disputatio esset instituta.

Licet autem multas vel omnes materias cogitatione comprehenderit verbis illis *ταῖς γραφομέναις ὕλαις*, unam eum spectavisse inprimis ac potissimum demonstrare posse mihi videor. Nec enim sibi constat Galenus, cum ter disputationem suam de vino et lacte commemorat: dicit

p. 347, 5: *περί τε γάλακτος καὶ οἴνων*
p. 348, 13: *περὶ γάλακτος καὶ οἴνου*
p. 348, 5: *ὑπὲρ οἴνου τε καὶ γάλακτος.*

Ipso igitur eo loco, de quo lis est, animadvertimus et praepositionem et verborum collocationem mutatas esse. Nec puto caeco casu factum esse, ut hic lactis notionem altero loco positam videamus, nec dico Galenum consulto et cogitate ordinem mutavisse, sed quoniam eius animo obversabatur illa luculentissima de lacte disputatio in libro tertio *π. τρ. δ.* condita, sua sponte verba ita posuit; quo facto facilius quae sequuntur verba *ἀλλὰ χρὴ τὸν ἄριστα — ἄχρι τῶν ἐσχάτων εἰδῶν* ad lac potissimum referre possumus. Nec enim possunt referri ad vinum, de cuius materia facultatibusque in hoc quinto *Ὑγ.* libro tam copiose et abundanter locutus est, ut contra in opere *π. τρ. δ.* (VI 744, 1) hunc de vino locum respiciat. At disputationi de lactis usu variisque eius generibus in tertio *π. τρ. δ.* libro tantus locus concessus est (VI p. 681—696), ut optime ad eum quadrent verba *ἄχρι τῶν ἐσχάτων εἰδῶν*. Id enim sibi ab initio proposuerat Galenus, ut hoc in opere de lactis usu accuratius doceret; nam ipse dicit (K. VI 495, 17) in primo huius *π. τρ. δ.* operis libro: *εἰρήσεται δὲ αὖθις ἐν τῷ περὶ γάλακτος λόγῳ περὶ πάσης αὐτοῦ τῆς χρήσεως.* Id igitur mihi quidem constat hoc loco opus *π. τρ. δ.* denotatum esse.

Iam autem mihi demonstrandum esse video contextum totius loci verbis nescio quo tempore insertis impeditum videri. Saepissime enim fit, ut qui excusent nescio quam rem, addant promissum se posthac diversa dissimilique ratione agendi usuros esse. Sunt duae quidem res, sed coniunctae vinculo paene necessario; id hoc loco dissolutum vides. Nam cum disputationis amplitudinem modo excusaverit auctor (347, 17) *εἰκότως ἄν τις ἡμῖν καὶ νῦν συγγνοίη τοῦ τρόπου τῆς διδασκαλίας οὐ κατὰ τὴν ἀκριβῆ βραχυλογίαν ἐπὶ ταῖς καθόλου μεθόδοις προερχομένης*, nec augere debebat postulata sua nec ad ampliores disputationes delegare lectores, sed optime continuare poterat (348, 8): *οὐδὲ* (respicit negationem praegressam) *περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅσα χρὴ γινώσκεσθαι τῷ μέλλοντι προνοήσασθαι γέροντος, ἄμεινον ἐν τῇδε τῇ πραγματείᾳ διέρχεσθαι μακρῶς κ. τ. λ.* Quae cum ita esse videantur, puto verba p. 348, 2 *ἰστέον γε μήν* — p. 348, 8: *ἄχρι τῶν ἐσχάτων εἰδῶν* non fuisse in prima conscriptione.

Sed hac sententia prolata novis difficultatibus iter mihi obstructum videtur; nam dixi supra magnam sexti libri partem paulo prius ortam esse quam quae de senum curatione sit. Atqui in sexto libro opus *π. τρ. δ.* passim — numeravi equidem septem locos (392, 14; 409, 15; 414, 11; 419, 9; 436, 1; 445, 1; 447, 3) — commemoratum vides. Ex quo concluserit quispiam fieri non posse, quin vestigia quaedam relicta deprehendantur, quibus eos locos, qui in priore sexti libri parte inveniantur, retractatos esse appareat. At id ipsum difficillimum est demonstrare. Nam in scriptis suis quicunque quid mutare vel addere animum induxerit, eius magnopere intererit ita perpolire locum, ut qui legant nulla in re offendant. Dubitare igitur poteris, an omnino nefas sit in talem spem venire. Sed age, examinemus locos! Ac primum quidem oculis tuis subiciam duos, qui primum in sexto libro occurrunt, oppositos:

p. 392, 13 ss.

. . . ἀπέχειν τε καὶ τῶν παχυχύμων ἐδεσμάτων καὶ μάλιστα ὅσα γλίσχρα. λέγεται δὲ περὶ αὐτῶν ἐπὶ πλέον ἐν τοῖς τρισὶν ὑπομνήμασιν, ἃ περὶ τῶν ἐν ταῖς τροφαῖς δυνάμεων ἔγρα-

p. 409, 12 ss.

ἀφεκτέον οὖν ἐστιν ἑκάστῳ σιτίων τε καὶ ποτῶν, ὅσα πέφυκε γεννᾶν ἑτοίμως τὸν ἀθροιζόμενον αὐτῷ χυμόν. εἴρηται δὲ περὶ αὐτῶν ἱκανῶς ἐν τρισὶ μὲν ὑπομνήμασιν, ἃ περὶ τῶν ἐν ταῖς τροφαῖς

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

p. 392, 13 ss.	p. 409, 12 ss.
ψα καὶ τῷ περὶ τῆς εὐχυμίας τε καὶ κακοχυμίας, ἔτι τε κἂν τῷ τῆς λεπτυνούσης διαίτης, καὶ γὰρ οὖν καὶ χρῆσθαι ἐν τοῖς ἀλγήμασι τοῖς καθ' ἧπαρ ἀναγκαῖόν ἐστι λεπτυνούσῃ διαίτῃ...	*δυνάμεων ἐπιγέγραπται, καθ' ἕτερον δέ, ἐν ᾧ περὶ εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας ἡ διαίρεσις γίγνεται. καὶ τούτων δ' ἔξωθέν ἐστι τὸ περὶ τῆς λεπτυνούσης διαίτης, ἥτις ἐπιτήδειος τοῖς τὸν καλούμενον ὠμὸν χυμὸν ἀθροίζουσι γίγνεται . . .*

Utroque loco eadem opera eodem ordine nominantur atque ita continuatur hic et illic oratio, ut quae sequuntur ad librum *π. λεπτυνούσης διαίτης* solum pertineant. Atqui ille *π. λ. δ.* liber 'antiquissimus est inter libros Galeni ad victus rationem pertinentes' Kalbfleisch in editionis praefatione). Igitur quoad deerant opera *π. τρ. δ.* et *π. εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας*, ad unum hunc *π. λ. δ.* librum erant delegandi lectores, in quo permulti cibi numerantur et aestimantur succis respectis, quos gignere valent. Equidem id quoque sentio non sine aliqua gravitate atque diligentia eorum operum mentionem fieri, velut utroque loco non omittit numerum librorum addere. Altero autem loco verbis (409, 18): *καὶ τούτων δ' ἔξωθέν ἐστι τὸ περὶ τῆς λεπτυνούσης διαίτης, ἥτις ἐπιτήδειος . . . γίγνεται* redire videtur ad contextum, quem aliquando posuerat. Itaque cum utroque loco fusiore dicendi genere in operibus commemorandis usus duo ita nominet, ut tempus, quo orta sunt, respiciat, tertium, quod, si tempus respexisset, primo loco collocare debebat, postremum enumeret, a verisimili abhorrere non videtur conicere in priore conscriptione fuisse quidem mentionem libri *π. λεπτυνούσης διαίτης*, non fuisse operum *π. τρ. δ.* et *π. εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας*. — Iam ad tertium locum examinandum transeamus, qui exstat p. 414, 6 ss.: *συμβουλεύειν δὲ αὐτοῖς χρὴ μηδὲν κνισσῶδες ἢ βρομῶδες ἢ ὅλως εὔφθαρτον ἔδεσμα προσφέρεσθαι, τὰ καλούμενα δὲ ὑπὸ τῶν ἰατρῶν εὔχυμα, ταῦτα ἐκλέγεσθαι. γέγραπται δὲ περὶ αὐτῶν ἑτέρωθι κατὰ τὸ περὶ τῆς εὐχυμίας τε καὶ κακοχυμίας ὑπόμνημα, γέγραπται δὲ, ὡς ἔφην ἤδη, κἂν τοῖς τρισίν, ἐν οἷς περὶ τῆς ἐν ταῖς τροφαῖς δυνάμεως ὁ λόγος ἐστίν. ἐπιτήδειον δὲ τοῖς οὕτως ἔχουσιν ἀνθρώποις . . . τῆς γαστρὸς ὑπαγωγή κ. τ. λ.* Ac primum quidem dicendum est totum locum, quo illa opera commemorantur, contextum si respexeris nullo damno omitti posse. Nam id constare inter viros doctos videtur Galenum consuevisse scriptis suis eorum librorum memoriam inferre, quos antea, quod nondum erant in lucem editi, commemorare non potuerat. Talia quotiens nulla mutatione facta omitti possunt nec desiderantur, potissimum in suspicionem cadunt. Deinde facile fieri poterat, ut auctor consilium quidem libri conscribendi haberet nec tamen satis perspectum, quomodo inscriberetur: dixerit igitur: *γράφεται* vel *λέγεται* vel *εἰρήσεται ἑτέρωθι*. Quodsi hoc loco legimus: *γέγραπται δὲ περὶ αὐτῶν ἑτέρωθι*, temporis mutata ratione *(γράφεται)* facile nobis fingere possumus reliqua defuisse. Nam inveniuntur loci, quibus nude positum vides *ἑτέρωθι*; (cf. *Ὑγ.* p. 346, 4: *προσαγορεύουσι γὰρ οὕτως αὐτάς, ὑπὲρ ὧν καὶ ἡμεῖς ἑτέρωθι διερχόμεθα*). Accedit, quod etiam hoc loco fusiore dicendi genere utitur *(γέγραπται δέ, ὡς ἔφην ἤδη, κἂν τοῖς τρισίν, ἐν οἷς περὶ τῆς ἐν ταῖς τροφαῖς δυνάμεως ὁ λόγος ἐστίν)*. Quod vero alterum post alterum sic incipit enuntiatum (414, 8): *γέγραπται δέ*, (414, 10): *γέγραπται δέ*, augetur suspicio adnotationem insertam potius esse quam orationem continuatam.

De quarto loco (419, 9), priusquam iudicium dicamus, facere non possum, quin de dispositione, quam secutus est Galenus, pauca praemoneam. Pugnant enim inter se, si quid video, in sexto libro duo auctoris consilia. Voluerat ut in quinto libro legimus de vitiosis naturis agere *(π. μοχθηρῶν φύσεων)*; eum perseverare in hoc consilio cognoscimus ex sexto (p. 389, 9): *προὐθέμεθα δ' ἐν τῷ νῦν λόγῳ περὶ τῶν μοχθηρὰν ἐχόντων κατασκευὴν διελθεῖν, σκοποῦντες, ὅπως ἄν τις αὐτὰ φυλάττοι κατὰ τὸ πλεῖστον ὑγιαίνοντα*. Iam id constat notione vitiosarum naturarum *(μοχθηρῶν φύσεων)* duo genera a Galeno comprehensa esse; discernuntur in sexto quidem libro (p. 383, 6 ss.) sic:

I. *οἱ εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς νοσώδη κατασκευὴν σώματος ἔχοντες*

II. *οἱ κατὰ περίστασιν πραγμάτων ἀδυνατοῦντες ἐν τοῖς προσήκουσι καιροῖς ἐσθίειν τε καὶ πίνειν καὶ γυμνάζεσθαι.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Alteram classem circumscribit (p. 404, 6 ss.) his verbis: *διωρισμένου δηλονότι τοῦ νοσεῖν ἐνίους συνεχῶς, οὐ διὰ τὴν οἰκείαν κατασκευὴν τοῦ σώματος* (priorem classem respicit), *ἀλλὰ καὶ διὰ μοχθηρὰν δίαιταν, ἤτοι γ' ἀργὸν βίον βιοῦντας ἢ ὑπερπονοῦντας ἢ περὶ τὰς τῶν σιτίων ποιότητας ἢ ποσότητας ἢ καιροὺς ἁμαρτάνοντας ἤ τινα τῶν ἐπιτηδευμάτων βλαβερῶς ἐπιτηδεύοντας ἢ περὶ τῶν ὕπνων ποσότητα σφαλλομένους ἢ χρῆσιν ἀφροδισίων ἄμετρον ἢ καὶ συντήκοντας ἑαυτοὺς ἐν λύπαις καὶ φροντίσιν οὐκ ἀναγκαίαις.* Hos omnes, qui hoc loco enumerantur, brevitatis causa liceat mihi uno verbo designare: occupatos; sunt enim illi occupati aut erroribus, quibus adducti vitiosam victus rationem sequuntur, aut negotiis, quibus ab optima avocantur.

Sed cum hac dispositione (I. vitiosi natura II. occupati) non ita bene convenit altera, quae in sexti libri exordio, quod nostra quidem sententia posteriore tempore conscriptum est, invenitur (p. 384, 1): *αἱ μοχθηραὶ δὲ τῶν σωμάτων κατασκευαὶ διτταὶ κατὰ γένος εἰσί· ἔνιαι μὲν γὰρ αὐτῶν ὁμαλῶς, ἔνιαι δὲ ἀνωμάλως ἔχουσι κεκραμένα τὰ στοιχειώδη τε καὶ πρῶτα τοῦ σώματος μόρια κ. τ. λ.* Atque hanc dispositionem (I. aequales intemperie II. inaequales intemperie) re vera Galenus secutus est. Quem igitur locum concessit in libro sexto occupatis? Interposuit disputationem de occupatorum victu post partem, quae est de aequalibus intemperie, ante eam, quae est de inaequalibus. Videtur autem haesitavisse hoc loco Galenus, quamnam disponendi rationem sibi deligeret (cf. infra 34). Nam p. 402, 5 dicit: *ὅσοι φύσει πολύσπερμοι, περὶ ὧν ἐν ταῖς ἀνωμάλοις κράσεσιν αὐτίκα λεχθήσεται,* p. 403, 4: *περὶ δὲ τῶν ἀνώμαλον ἐχόντων τὴν κατασκευὴν τοῦ σώματος οὐκ ἐγχωρεῖ διὰ βραχέων εἰπεῖν* . . . ibid. 8: *καὶ διὰ τοῦτο πρότερον εἰπόντες, ὅσα τῷ τε τὴν ἄμεμπτον ἔχοντι κατασκευήν, βιοῦντι δὲ βίον δουλικὸν ἢ περιστατικὸν ἢ ὅπως ἄν τις ὀνομάζειν ἐθέλοι* (l.-ῃ) *ποιητέον ἐστίν, καὶ μετὰ ταῦτα, ὅσα τοῖς ὁμαλὴν τὴν δυσκρασίαν ἐν ὁμοίῳ βίῳ, μεταβήσομεν* (conicio *μεταβησόμεθα*) *τηνικαῦτα πρὸς τοὺς ἀνώμαλον ἔχοντας ἐν τοῖς τοῦ σώματος μέρεσι τὴν κατασκευήν.* Nec igitur quadrat illud *αὐτίκα* (p. 402, 6) et videtur ille, quoniam iam non in animo est de inaequalibus disputare, promissum suum revocare. Sed hanc quaestionem in praesentia differamus.

Constat iam sextum librum tres partes continere:

Tractantur: p. 389, 12—403, 3 I: vitiosi natura (aequales intemperie)
p. 403, 4 —419, 16 II: occupati (a. qui optimo corporis statu sunt b. aequales intemperie)
p. 419, 17—450, 4 III: inaequales intemperie.[1])

Iam ad primam partem si addideris eam partem, quam supra dixi prooemii loco esse, numerandae sunt paginae inde ab p. 386; quo facto invenies triginta tres paginas reservatas esse aequalibus, triginta inaequalibus. Dimidia igitur totius libri parte prope absoluta iam in epilogo invenitur quartus locus, quo opus *π. τρ. δ.* commemoratur. Ita autem locus mihi compositus videtur, ut nil habeam, quod reprehendam, nisi quod ut dixi opus *π. τρ. δ.* commemoratum video in epilogo, quem facile addere potuit auctor, cum temporis spatio aliquo interiecto ad opus de manibus missum rediret. Nam quis negaverit auctorem non male finivisse his verbis (p. 419, 2): *καὶ τὰς ἄλλας δὲ δυσκρασίας ἐν ὅλῳ τῷ σώματι γιγνομένας ὁμοίως ἐπανορθοῦσθαι χρή, πρῶτον μὲν ὧν προσήκει πράττειν εὑρίσκοντα τὸν σκοπόν, εἶτα τὰς δυναμένας αὐτὰ δρᾶν ὕλας.* Sed addit locum, quo docet se, quippe cum de omni materiae genere alicubi exposuerit, brevitate uti posse (p. 419, 5): *διὸ καὶ σύντομος ὁ νῦν λόγος ἅπαξ* (l.-ας) *γίγνεται πρὸς τοὺς μεμνημένους τῶν τε τρίψεων καὶ τῶν γυμνασίων καὶ τῶν λουτρῶν τὰς διαγωγάς, ἔτι τε πρὸς τούτοις ἐδεσμάτων τε καὶ φαρμάκων. περὶ μὲν οὖν τρίψεων καὶ τῶν γυμνασίων ἐν τῇδε τῇ πραγματείᾳ πρόσθεν εἴρηται, περὶ δὲ τῶν τροφῶν ἑτέρωθι, καθάπερ γε καὶ περὶ τῶν φαρμάκων.* Hoc igitur sexti libri loco primum videtur mihi Galenus de opere *π. τρ. δ.* dicere non ut de nova re, quae cum gravitate quadam lectoribus commendatur, sed ut de quovis opere. Nec reliquis locis, quibus *π. τρ. δ.* libri commemorantur, ad eam sententiam adducimur, ut putemus esse quidquam aut insertum aut mutatum. Nec enim fieri potest, ut detrahamus quidquam de sententia huius loci (435, 17 ss.): *καὶ συνελόντι φάναι μεταξὺ τῆς τε λεπτυνούσης διαίτης καὶ τῆς παχυνούσης εἶναι*

[1]) Restant tres paginae, quae supplementum quoddam continent.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

χρή. τὴν δὲ τούτοις ἁρμόττουσαν τὴν κατὰ μέρος ὕλην ἐν τοῖς περὶ τῶν τροφῆς δυνάμεων ὑπομνήμασιν ἔγραψα καὶ προσέτι ἐν τῷ περὶ τῆς εὐχυμίας τε καὶ κακοχυμίας. διὸ καὶ μηκύνειν ἐν τῷ παρόντι περιττόν κ. τ. λ. Restant duo loci, quibus opera et π. τ. δ. et π. φαρμάκων commemorantur (444, 17 s.): λέλεκται δὲ αὐτῶν ἡ ὕλη κατὰ τὰ περὶ τροφῶν καὶ τὰ τῶν ἁπλῶν φαρμάκων ὑπομνήματα, (447, 1 s.): τῶν μὲν οὖν τοιούτων ἡ ὕλη κατά τε τὰ τῶν ἁπλῶν φαρμάκων ὑπομνήματα καὶ ἐν τῷ (τοῖς?) περὶ τῶν τροφῶν δυνάμεως εἴρηται. Qui loci rem nec expediunt nec impediunt. Omnibus locis sexti libri, quibus opus π. τ. δ. commemoratur, iam examinatis dici potest a verisimili non abhorrere locos, qui in priore libri parte inveniantur, posteriore tempore insertos esse, insitos esse contra alterius partis. Quod si recte coniectatum est, concludimus priorem sexti libri partem ante opus π. τρ. δ. confectum ortam esse, post opus π. τρ. δ. confectum posteriorem.

Tres libros π. τρ. δ. anno 180 conscriptos esse, nuper S. Vogt in dissertatione 'de Galeni in libellum κατ' ἰητρεῖον commentariis' demonstrare conatus est. Assentitur ille vir doctus Ilbergio de tempore, quo ortus sit liber Ὑγ. sextus et opus π. τρ. δ., disserenti (cf. Mus. Rhen. 44, 225, 232; 51, 187). Quid igitur dicit Ilberg? Censet sextum Ὑγ. librum M. Aurelio imperante conscriptum esse (Mus. Rhen. 44, 225[3]): VI 406 K: ὁ γοῦν ὧν ἴσμεν αὐτοκρατόρων ἑτοιμότατα πρὸς τὴν τοῦ σώματος ἐπιμέλειαν ἀφικόμενος Ἀντωνῖνος (d. i. M. Aurelius Antoninus) ἐν μὲν ταῖς μικραῖς ἡμέραις ἡλίου δύνοντος εἰς τὴν παλαίστραν παρεγίγνετο, κατὰ δὲ τὰς μεγίστας ὥρᾳ θ' ἢ τὸ πλεῖστον ι', ὥστ' ἔξεστι τοῖς παραμένουσιν αὐτῷ κατὰ τὰς ἡμερησίας πράξεις ἀπαλλαγεῖσι προνοῆσαι τοῦ σώματος ἐν τῷ λοιπῷ μέρει τῆς ἡμέρας. *Das Präsens ἔξεστι beweist, daß der Kaiser noch am Leben ist;* παρεγίγνετο *im Vorhergehenden erklärt sich aus der augenblicklichen Abwesenheit desselben von Rom, Galen denkt dabei an seine früheren Beobachtungen*'. Idem addit (Mus. Rhen. 51, 187): *Ich habe schon früher vermutet (Rh. Mus. 44, 232 f.) daß die drei Bücher 'Über die Kräfte der Nahrungsmittel' gleichzeitig mit den ὑγιεινά geschrieben seien und vermag jetzt diesen Ansatz dahin genauer zu bestimmen, daß sie zwischen das 5. und 6. Buch dieses Werkes fallen*'. Iam in adnotatione argumenta proferuntur: '*Während nämlich in* περὶ τροφ. δυν. *die* ὑγιεινά *nicht weiter als bis zum 5. Buche zitiert werden (vgl. 744, was sich auf* ὑγιειν. *B. IV S. 275 f. und besonders auf B. V S. 334 f. bezieht), heißt es im 6. Buche der* ὑγιεινά *(392, vgl. 436):* λέγεται κ. τ. λ.' (sequitur locus supra a nobis exscriptus). Alia causa adductus demonstrat S. Vogt (l. l. p. 5) Galenum quinquagesimo tertio anno aetatis libros π. τρ. δ. composuisse, et fuit procul dubio tum temporis Pergamenus provectior aetate, quod confirmatur loco π. τρ. δ. hoc (626, 10): ὁπότε δὲ εἰς τὴν καθεστηκυῖαν ἡλικίαν ἦλθον. Vogtii igitur rationem si sequemur, eveniet terminus potius annus 182 quam 181, quem ille constituit. Iam vero, quod M. Aurelium a. 180 de vita decessisse constat, amplius annos premere cogitur vir doctus (p. 5): '*cum non existimemus scriptorem eos locos, quibus de alimentis libros commemorat* (sequuntur locorum paginae omissa p. 419) *ad sextum librum* περὶ ὑγιεινῶν *postea adiecisse, hoc solum nobis relinquitur, ut posteriorem numerum seu neglegentia seu alia de causa eum auxisse dicamus; quae differentia ut parva sit, anno 180 et sextus liber* περὶ ὑγιεινῶν *et de alimentis libri adscribendi sunt*'.

Nostra autem sententia aliter enodatur difficultas. Nam ille locus, quo nixus Ilberg affirmat (Mus. Rh. 44, 225): '*Die* ὑγιεινά *sind noch während der Regierung des Marc Aurel fertig geworden*', invenitur in priore libri sexti parte, quam ante opus π. τρ. δ. ortam esse diximus. Optime igitur observavit Ilberg locum illum M. Aurelio vivo conscriptum esse, modo ne censuisset totum Ὑγ. opus eiusdem imperatoris aetate absolutum atque perfectum fuisse. Omisit enim Galenus temporis rationem corrigere, ut supra libri componendi ratione mutata priorem dispositionem removere neglexit. Itaque equidem puto opus π. τρ. δ. non ante annum 182 editum esse, priorem Ὑγ. conscriptionem factam esse M. Aurelio imperante.

Reliqua est exigua pars huius septimi capitis, de qua tamen, priusquam proximum caput inspexerimus, iudicium facere non possumus. Necesse enim est terminum septimi capitis a Charterio non bene pactum commovere potiusque cum Nicolao Regino facere, cuius in translatione fines capitis propagati sunt usque ad verba (p. 349, 8): καὶ περιττὸς εἰς ἐπιστήμην γηροκομικήν. Nam ut modo De cap. VIII

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

exposuit Galenus se de nonnullis quidem rebus aeque accurate ac de vino et lacte disputaturum esse, sed de aliis aut multo brevius aut omnino non, sic abnuit de senum morbis fusius explicare, quippe qui ad artem medicinam pertineant. Iam vero (p. 349, 11) ad uberiorem expositionem redire constituit: *ἀλλ' ὥσπερ οὐδὲν τούτων* (quae in singulos senum morbos remedia adhibenda sint) *χρὴ γράφειν ἐν συγγράμματι γηροκομικῷ, . . . οὕτως αὖ πάλιν οὐδ' ἐπὶ μόνοις τοῖς κοινοῖς παύεσθαι.* Singillatim nonnulla pertractanda esse, partim ut discentes exerceantur, partim ut, qua ratione quae omissa sint, inveniantur, nonnullis exemplis ostendatur. Talia fere praefatus clara illa disceptatione, utrum frigida et humida an frigida et sicca senum natura habenda sit perstricta, quicunque quibusdam humiditatibus decepti senibus sicciorem commendaverint victum, erroris coarguit. Consentaneum igitur est etiam in hac parte ciborum (*τῶν προσφερομένων*) multos commemorari; reiciuntur sicci, commendantur humidi. Videtur ergo, si dispositionem rerum requisiveris, haec tota explicatio esse supplementum ad ea appositum, quae de *τῶν προσφερομένων* materia et usu disputavit; quod supplementum ut componeret Galenus videtur eo adductus esse, quod de senum natura medici dissentiebant.

Interiectum autem inter iustam *περὶ τῶν προσφερομένων* disputationem et ea, quae tanquam supplementum addidit, invenis illum locum, quo auctor de re instituta porro tractanda deliberationes habet. Difficile vero est diiudicare, quasnam res mente agitaverit ille scribens [1]) (p. 348, 8): *οὐδὲ περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅσα χρὴ γινώσκεσθαι τῷ μέλλοντι προνοήσασθαι γέροντος, ἄμεινον ἐν τῇδε τῇ πραγματείᾳ διέρχεσθαι μακρῶς, ἀλλ' ἀρκεῖ περὶ μὲν ἐνίων, ὅσα μάλιστά ἐστι χρήσιμα τοῖς πρεσβύταις οὕτως εἰπεῖν ὡς νῦν εἴρηται περὶ γάλακτος καὶ οἴνου, περὶ δὲ ἐνίων ἔτι βραχύτερον ἢ κατὰ ταῦτα διελθεῖν, ὥσπερ γε καὶ περὶ ἄλλων ὅλως μηδὲν εἰπεῖν.* Satis habeo commemorare inveniri in hoc libro hodie satis longam disputationem de exercitationibus, breviorem de auxiliis, quae ad evacuationem spectant (*τὰ κενούμενα*), nullam de iis, quae extrinsecus corpori adferuntur (*τὰ προσπίπτοντα ἔξωθεν*). Iam sequitur locus, qui quomodo esset intellegendus, docuit me C. Kalbfleisch. Galenus enim ratus eum, qui extendere sermonem non abnuat, omnia tractare posse, quae ad senum curationem spectent, fingit talem facitque eum ad hunc modum dicentem (*ὧδέ πως λέγοντι*) (349, 1): *'κάλλιον δὲ καὶ περὶ*

---

[1]) Galenus quanam re commotus sit, ut hunc locum insereret, haud scio an hac ratiocinatione intellegi possit: Infra prolatis argumentis dicam verisimile esse priorem quinti libri conscriptionem p. 357 ad finem perductam fuisse. Quod si recte se habet, hic locus legitur in pagina octava ante finem totius libri. Atqui saepius licet observare septima, saepius octava pagina ante voluminis finem deliberationes habere auctorem de reliqua parte explenda. Proferre liceat haec exempla: de san. t. VI 296 (numerantur usque ad finem $8^1/_2$ paginae) *ἐπὶ τὸν λοιπὸν καὶ τρίτον τῶν κόπων . . . τὸν λόγον ἄγειν.* de rat. med. X 296 (8 paginae) *ἐν δὲ τῷ παρόντι λόγῳ τὴν . . . ἔνδειξιν ἔτι προσθέντες οὕτω καταπαύσομεν καὶ τουτὶ τὸ τέταρτον βιβλίον.* ibid. p. 375 (8 paginae) patet auctorem ad epilogum transire. ibid. p. 522 (7 paginae) *οὐ χρὴ μηκύνειν . . ., ἀλλ' ἤδη τέλος ἐπιθεῖναι τῷ γράμματι.* ibid. p. 593 (8 paginae) *ἐπανέλθωμεν δ' αὖθις ἐπὶ τὰς δυσκράτους φύσεις.* ibid. p. 653 (8 paginae) incipit supplementum quoddam. ibid. p. 801 (8 paginae) *ὥστ' ἀρκεῖ πρός γε τὰ παρόντα . . . ὅσα λέλεκταί μοι.* De usu partium corporis humani K. III 79 ($8^1/_2$ paginae) *τὰ μέν που προείρηται, τὰ δὲ καὶ ὁ ἐφεξῆς διδάξει λόγος. τὸ δὲ νῦν εἶναι τῶν ἔργων ἀναμνησθῶμεν τοῦ μεγάλου δακτύλου τῶν ἔμπροσθεν εἰρημένων κ.τ.λ.* ibid. p. 159 8 paginae) *δειχθήσεται δὲ καὶ νῦν ταὐτὸ τοῦτ' ἐπὶ τῶν διαρθρώσεων.* ibid. p. 257 (8 paginae) *διὰ τί δὲ οἱ σύμπαντες μύες ἐγένοντο κατὰ τὸν μηρὸν ἐννέα τὸν ἀριθμόν, ἐφεξῆς ἂν εἴη ῥητέον.* ibid. p. 332 ($7^1/_2$ paginae) *ἀλλὰ περὶ μὲν τῶν λεπτῶν ἐντέρων ἱκανὰ ταῦτα, περὶ δὲ τῶν παχέων ὧδ' ἔχει.* ibid. p. 509 ($6^1/_2$ paginae) *τὰ δὲ δὴ κατὰ τὴν καρδίαν . . . καὶ δὴ φράσω.* ibid. p. 601 ($6^1/_2$ paginae) *ἀρκεῖν μοι δοκεῖ ταῦτα κατὰ τὸ παρόν . . .* ibid. p. 750 ($7^1/_2$ paginae) *. . . ἐπιθῶμεν ἤδη καὶ τούτῳ τῷ γράμματι τὴν προσήκουσαν τελευτήν.* ibid. p. 833 (8 paginae) *εἴη δ' ἂν ἴσως οὐδὲν χεῖρον οὐδὲ τὰ πρὸς τῶν πρεσβυτέρων εἰρημένα . . . εἰπεῖν.* ibid. K. IV 133 (8 paginae) *. . . ὑπὲρ ὧν λέγειν ἤδη καιρός.* ibid. p. 254 ($8^1/_2$ paginae) *καθ' ἑκάστην δὲ τῶν εἰρημένων τριῶν . . . ἐξηγούμεθα* (sic Helmreich; *ἐξηγούμενοι* codd.). ibid. p. 337 (8 paginae) *δέδεικται δὲ περὶ τούτων ἁπάντων ἑτέρωθι . . . καὶ οὐ χρὴ ζητεῖν . . . κατὰ τὴν πραγματείαν τήνδε.* Iam id velim reputes permulta Galeni scripta in editione K. plus minusve octoginta explere paginas. Itaque conicio Galenum usum esse saepissime voluminibus vicenas paginas continentibus (cf. Plin. n. h. 13, 77: nunquam plures scapo quam vicenae; Gardthausen, Das Buchwesen im Altertum und im byzantinischen Mittelalter p. 137). Quod si fuerit, respondebit octava quaeque ante finem pagina in editione K. ei, quae in Galeni volumine ultimam antecesserit. Facile igitur fieri poterat, ut auctor, quippe qui ad paenultimam paginam se pervenisse sensisset, secum reputaret, quomodo reliquum voluminis spatium in suam rem converteret.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἄλλων διελθεῖν — ταῦτα' (l. 7). Cognoscimus igitur auctorem de senum morbis in hoc libro agere recusare. Ac de hoc quidem capite satis dictum est.

Quod ad caput IX attinet, recordare quaeso, quae supra de notionibus *τῶν προσφερομένων* et *τῶν κενουμένων* disputavimus. Hoc igitur capite et cibi et remedia enumerantur atque aestimantur, quae ad evacuationem efficiendam senibus idonea sunt. Nulla offensione procedit explicatio; sed in capitis extrema parte desinit singillatim dicere, generatim dicere coepit. Versamur, ut videtur, in epilogo, non partis — nec enim *τὰ κενούμενα* respicit — sed potius libri; definitur, quid sit senectus *ἐκ πολυετίας*, quid *ἐκ νόσου* proveniens. Denique delegantur discentes cum ad primum *Ὑγ.* librum et ad eos, quos de temperamentis composuerit, tum ad librum *π. μαρασμοῦ*; ad hunc librum iterum iterumque perlegendum in sexto libro magna cum gravitate lectores excitaverat (397, 1): *ὁποῖον δέ τι τὸ ξηρὸν νόσημά ἐστιν, ἐπιστημονικὴν ἕξει γνῶσιν τὸ γεγραμμένον μοι περὶ μαρασμοῦ βιβλίον ἐπιμελῶς ἀναγνοὺς οὐχ ἅπαξ ἢ δὶς οὐδὲ παρατρέχων, ἀλλ' ἐφιστὰς καὶ προσέχων τὸν νοῦν ἑκάστῳ τῶν λεγομένων.* Hoc quinti libri loco satis habet libellum nominavisse; haud scio an meminerit ille libelli mentionem iam factam esse. Etenim valde metuo, ne in priore confectione hic locus tam plenus non exstiterit quam hodie legitur. Qua in re tenendum est Galeni testimonium, quo dicit *Ὑγιεινά* fuisse ante librum *π. μαρασμοῦ* (X, 720, 2). Fateor autem semper me offendisse in huius loci sententiarum ordine. Manifestum est Galenum pro tralaticia definitione senectutis, quam longae vitae deberi dicere solent, doctiorem ponere voluisse. Idcirco etsi nonnulla, quae temperationem hominum siccent ideoque seniliorem reddant, enumerantur, temporis ne mentio quidem fit; nec desideratur. Nam nemo iam ignorabit, qua in re senectutis natura posita sit. Tamen nova profertur definitio, quae ut superioris enuntiati cum sententia non ita bene convenit, sic arcte cohaeret cum iis quae sequuntur. Nam verba (357, 3): *ἔστι μὲν γὰρ ὅ γε κυρίως ἅπαντες ἄνθρωποι γῆρας ὀνομάζουσιν, ἡ ξηρὰ καὶ ψυχρὰ κρᾶσις τοῦ σώματος ἐκ πολυετίας γινομένη* respondent his: *συμβαίνει δέ ποτε καὶ διὰ πυρετῶδες νόσημα καὶ καλοῦμεν αὐτὸ ἐκ νόσου γῆρας, ὡς ἐν τῷ περὶ μαρασμοῦ λέλεκται γράμματι.* Id igitur spectavit Galenus alteram definitionem proferens, ut discrimen inter *γῆρας* et *γῆρας ἐκ νόσου* significaret. Ut supra vidimus eum ex opere *π. τρ. δ.* studiorum fructus transtulisse in hunc *Ὑγ.* librum, ita hoc loco ex libro *περὶ μαρασμοῦ*. Restat, ut sententiae nostrae tanquam experimentum demus: age retractationis vestigiis paulisper remotis (*ἔστι μὲν γάρ* l. 3 — *ἀλλὰ καὶ φυτοῖς γιγνομένη* l. 9), videamus, num omnia plana esse videantur. Bene se habent omnia, nisi forte offendis in verbis: *καὶ προσέτι τοῦ περὶ μαρασμοῦ γράμματος*, quae ipsa nimirum posterioris temporis additamentum existimanda sunt, quin additamenti notam prae se ferunt (*καὶ προσέτι*).

De cap. IX.

Existimo autem hoc loco disputationem de senum curatione priore in confectione ad finem perductam fuisse. Verisimile tamen est Galenum, quoniam se de senectutis aetatibus acturum esse promiserat, adiunxisse haec fere, quae hodie leguntur, p. 379, 8: *ταῦτα δὲ περὶ τῶν μέσην ἡλικίαν ἐχόντων τοῦ γήρως εἴρηται κ. τ. λ.* Hanc sententiam etiam novis argumentis defendere in animo est. Sed nunc redeamus ad propositum.

Decimum caput, quo de senum exercitationibus agitur, priusquam ad sententiarum ordinem exigamus, in conspectu ponere liceat, quae de quinti libri oeconomia adhuc inventa sunt:

I. Praefatio. Cap. I.
  a) de disciplinae longinquitate.
  b) de disciplinae praestantia.
II. Recapitulatio priorum. Cap. II.
  Postulata.
III. Tractatio ad rem universam spectans. Cap. III, IV.
  a) de temperatione corporis senilis.
  b) de auxiliis adhibendis, imprimis de frictione cum oleo et motuum quibusdam generibus.
  c) de difficultatibus in adhibendis auxiliis.
  d) de duorum longaevorum diaeta.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

IV. Tractatio ad res singulas spectans. Cap. V—X.

A. *τὰ προσφερόμενα* (p. 334—347).

I. 1. de vinis.
2. de cibis.
3. de panibus, de lacte.

II. de ratione, quam in his rebus enarrandis secutus sit et quam secuturus sit (p. 347—349).

III. supplementum: de erroribus eorum, qui senum temperationem humidam et frigidam esse censuerunt (p. 349—353).

B. *τὰ κενούμενα* (p. 353—356).

C. *τὰ ποιούμενα* (p. 357—358; 321—329; 358—360.)

De cap. X. Dixi supra nos hodie non eum quem aliquando composuisset librum Galenus in manibus tenere. Iam ad eum locum, quo certamen de sententia mea renovatur, perventum est. Sed manus priusquam conseramus, caput decimum pristinum in statum redigi necesse est. Nam confusum et perturbatum video sententiarum ordinem. Enumeravit auctor quattuor illa auxiliorum genera (358,6): *προσφερομένων καὶ ποιουμένων καὶ κενουμένων καὶ προσπιπτόντων ἔξωθεν*. Quae qua ratione sint adhibenda, quo melius cognoscatur, exempla se prolaturum esse promittit. At quae sequuntur, ferri non possunt. Enarratur enim pueri curatio, cuius thorax a reliquarum partium symmetria non parum afuerit. Atqui de senibus dicere propositum est (cf. 358,1: *ἐπὶ τοῦ προκειμένου νῦν ἡμῖν τοῦ γήρως*. 358,4: *ἀγαθὸς ἂν ἰατρὸς εἴη τῶν γερόντων*). Ergo deesse multa manifestum est et anquirendus locus, quem desideramus. Iam recordare quaeso supra crurum fuisse exemplum, cum quo si modo exstaret thoracis coniungendum esse dixi. Quare iterum inspiciamus, quae antea removenda censuimus. Iam primo obtutu apparet totum locum (p. 321—329,8) hic inserendum esse nec incommode iusto contextu restituto subsequitur illud thoracis exemplum.[1]) Hoc quoque enarrato redit disputatio ad senes et denuo inculcantur, quae in huius partis initio tradita sunt postulata (359,13): *βέλτιον γὰρ ἐπ' ἐκείνων ἡσυχάζειν τοῖς ἀσθενέσι μορίοις εἴρηται, βέλτιον δὲ καὶ τὸ διὰ τῶν συνήθων ἐπιτηδευμάτων γυμνάζειν κ. τ. λ.* Iam ad finem perducta est illa pars, qua *τὰ ποιούμενα* tractantur. Quam si senum curandorum causa perlegeris, quam exigua particula, cum multa Galenus de exercitationibus generatim exposuerit, huic aetati sit reservata, miraberis. Ea vero, quae supersunt in hoc libro conscripta, adeo non ad senes pertinent, ut paene obstupescas legens libri extremum locum, quo senum memoriam de improviso revocatam ac restitutam vides.

De rel. partis argumento. Et quoniam reliquae huius libri partis mentionem feci, haud alienum videtur eius argumentum enarrare. De senibus dicere desierat auctor p. 360,7: *ὥσπερ εἰ καὶ τέχνην ἄρχοιτο μανθάνειν ὀγδοηκοντούτης ὤν*. Debebat nunc procul dubio totius libri epilogum ponere (379,8): *ταῦτα δὲ περὶ τῶν μέσην ἡλικίαν ἐχόντων τοῦ γήρως εἴρηται κ. τ. λ.* Sed haud inepta ut videtur transgressione usus occaecare lectorum mentes conatur dicens eos, qui temperationem senum similem habeant, similiter esse curandos. Iam pergit (360,16): *ὁ γάρ τοι πρῶτος σκοπός, ἀφ' οὗ τὴν ἔνδειξιν τῶν ἰαμάτων λαμβάνομεν, ἡ τοιάδε δυσκρασία τοῦ σώματός ἐστιν, οὐ τὸ γῆρας ἢ ὅλως ἡλικία τις. ἀλλ' ἐπειδὴ στοχαστικῶς ἡμῖν τὸ τῶν διαθέσεων μέτρον λαμβάνεται, διὰ τοῦτο καὶ τὴν ἡλικίαν ἐπισκοποῦμεν, ἡ δ' αὐτὴ χρεία καὶ τῆς τῶν ἐθῶν γνώσεώς ἐστι καὶ τῆς τῶν προκαταρκτικῶν ὀνομαζομένων αἰτίων.* De intemperiei igitur vario genere eiusque ratione medendi agitur tota reliqua libri parte. Primum castigatis empiricis (p. 361) nimium experientiae, parum ratiocinationi attribuentibus Hippocratis eorumque, qui illum secuti sunt, rationem comprobat, qui in particularibus discentes exercuerint, cum multa de prognosi et diagnosi scriptis mandaverint. Etsi igitur communia quaedam omnium temperamentorum praecepta exstare in confesso est, tamen variantur, prout intemperies quaevis ab

[1]) Quamquam si quis dixerit pauca excidisse, non obloquar.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

optima temperatione recessit (363). Iam repetitis notissimis et tritissimis praeceptis (*ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα. ὕλη καὶ δυνάμεις τῶν βοηθημάτων*) discrimen statuitur inter eam curationem, qua corpus in statu suo conservatur et eam, qua mutatur. Illam adhibendam esse iis, qui otio non fruantur, hanc, qui fruantur. Qua re exposita demonstrare vult illa praecepta, prout intemperies quaevis ab optima temperatione recesserit, variare. Occurrit autem primum iis, qui iisdem auxiliis alios adiuvari, alios laedi mirantur. Nec enim cum multiformes hominum naturae exstiterint, fieri posse, quin multiplex auxiliorum eventus fiat. Sed tantum abesse, ut medici in hoc fundamento insistant, ut suam quisque doctrinam proferat, nec inveniri ullum consensum. Galeni quidem sententia plurimi morborum nisi ratiocinando et coniectando terminari non possunt; itaque vir peritus adhibendus est et idoneus, qui corporis affectu accurate perspecto quaecunque eiusmodi affectui consonare queant singillatim invenire possit. Quibus expositis ut demonstret, quomodo factum sit, ut ipse iuvenili aetate rectam viam iniret, Primigenis philosophi curationem enarrat accuratius, brevius aliorum.

Quae intercedat ratio inter ratiocinationem et experientiam, breviter ac distincte hisce verbis exprimit Galenus (p. 368, 3): *ὅπερ οὖν κατὰ τὴν ἰατρικὴν τέχνην εἴωθα λέγειν ἀεί, τοῦτο καὶ νῦν ἐρῶ· τάχιστα μὲν ὁ λογισμὸς εὑρίσκει τὰ ζητούμενα, βεβαιοῖ δὲ τὴν πίστιν αὐτῶν ἡ πεῖρα.* Quam non consentiant inter sese, qui de sanitate tuenda scripserunt, iterum et saepius observari potest ex eo, quod parum intellexerint illud Hippocratis: *ταῖς θερμαῖς φύσεσιν ἄμεινον ἀργεῖν.* Iam enumerantur ac pensantur medicorum errores; quo facto Hippocratis vera sententia illustratur nec reticetur ipsum rectam rationem secutum multos ad sanitatem reduxisse. In extrema huius capitis particula vehementer eos incusat, qui quod sectarum principes haberi concupiverint, Hippocratis disciplinam vel contempserint vel neglexerint, eorumque discipulorum conqueritur sortem.

Quae cum ita sint, in extremo capite explicat, quaenam esse debeant determinationes. Producuntur igitur quattuor classes eorum, qui intemperie quadam affecti sunt, ac paucis demonstratur, qua quaeque curatione indigeat, sed de quarta classe, i. e. de calidis et humidis fusius disputat ac bene disposuit quaestiunculam: nam primum agitur de exercitationibus humidis et calidis naturis idoneis, deinde de balneis, postremum de vini usu. Sed cum ea, quae de vini usu dare praecepta in animo habet, annectat decreto cuidam Hippocratis in epidemiis invento, iam non de calidis humidisque solis dicit, sed tribus calidarum naturarum classibus distinctis, quomodo quaeque vini usu afficiatur, exponit. Occasione data cum de vinis caliditate variis monuerit, docet non satis esse circumscripsisse, quae cuiusque auxiliorum vis esset adhibitis simplicium qualitatum significationibus, necesse esse contra, quoniam intemperiei varia genera aeque ac vires auxiliorum gradatim inter sese differant, gradus ipsos qualitatum cognitos ac perspectos habere. Iam ad illam extremam totius libri particulam pervenimus; continuatur autem oratio sic (379, 8): *ταῦτα δὲ περὶ τῶν τὴν μέσην ἡλικίαν ἐχόντων τοῦ γήρως εἴρηται κ. τ. λ.*, quae verba iterum ante oculos posuisse me non piget, ut quam nullus esset sententiarum nexus iterum patefieret.

Restituto in pristinum ordinem capite X, explorato totius reliquae libri partis argumento, quo fere tempore haec omnia a Galeno conscripta sint, quaeramus. Nam id quidem mihi constat alio tempore priorem libri partem, alio posteriorem ortam esse. Quievit ni fallor post eam partem confectam, qua *τὰ κενούμενα* tractantur (p. 357, 14), opus sive perfectum haberi auctor voluit sive dimisit de manibus inchoatum nescio qua causa adductus. Age, proferamus argumenta! De huius partis ortu et tempore.

Vidimus Galeno fuisse hanc dispositionem: I. *μοχθηραὶ φύσεις* II. *γέροντες.* Demonstravimus versimile esse auctorem hoc consilium in priore confectione exsecutum esse. Igitur locum si invenerimus, quo despecta illa prior dispositio, respecta nova cernitur, concludemus recentiorem in partem operis nos incidisse. Iam occurrit nobis (p. 322, 7) hic locus: *τὸ μὲν γὰρ ἄριστον τῇ κατασκευῇ σῶμα, περὶ οὗ μέχρι δεῦρο πεποίημαι τὸν λόγον ἐξ ἀρχῆς κ. τ. λ.* Patet ergo novam libri instituendi rationem esse respectam.

Iam ad alterum argumentum attende quaeso animum. Quid, si liber de arte medica hac

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in parte commemoratur? Nec enim Ilberg disserens, quibus temporibus libri de sanitate tuenda editi essent, animadvertisse hunc locum videtur (372,4): *εἴρηται δὲ οὐ μόνον ἐν τῇ περὶ κράσεων πραγματείᾳ τὰ γνωρίσματα τῶν κράσεων, ἀλλὰ καὶ ἐν τέχνῃ ἰατρικῇ. τοῦτο γάρ ἐστι ἐπίγραμμα τῶν ἡμετέρων ἑνὶ βιβλίων.* Ipse autem ille vir doctissimus demonstravit librum de arte medica Septimio Severo imperante ortum esse (cf. Mus. Rh. 51,178; adde, quae idem exposuit Mus. Rh. 44, 226). At, dices, in libro de arte medica tribus locis mentio fit operis de sanitate tuenda. Audio. Igitur ne praepropere iudicium faciamus, examinandi sunt illi loci.

Agitur in libro, qui inscribitur *τέχνη ἰατρική*, de corporibus, de signis, de causis et sanitatis et morborum; inde ab capite XXIII usque ad caput XXV disputatur de causis salubribus; hac igitur in parte bis commemoratur opus de sanitate tuenda. Nam quoniam p. 367 statuit sex esse causas, quibus corpora immutarentur (*ἐκ περιέχοντος ἀέρος, ἐκ κινήσεως καὶ ἡσυχίας, ἐξ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως, ἐκ τῶν προσφερομένων, ἐκ τῶν ἐκκρινομένων ἢ ἐπεχομένων, ἐκ τῶν ψυχικῶν παθῶν*), addit p. 368,12: *καὶ γέγραπται περὶ τούτων αὐτῶν ἰδίᾳ καθ' ἕκαστον ἐν τῇ τῶν ὑγιεινῶν πραγματείᾳ.* Ita autem potuit scribere Galenus, etiamsi emissus non esset nec quintus nec sextus *Ὑγιεινῶν* liber; respicit enim, cum sex causarum genera esse dicit, quattuor illa, quae in primi *Ὑγ.* libri fine protulit iisque, qui sequuntur, libris accuratius tractavit. Ex illo igitur loco ad tempus quinti libri definiendum nil lucri facimus. Id autem nemo infitiabitur in capite XXV (I, 372—376) de similibus rebus, quae partim in libro quinto, partim in sexto tractantur, quaestionem haberi. Ut summam comparationis in medium proferam: et hic et illic discrimen statuitur inter *ἐπανορθοῦσθαι* et *φυλάττειν* (cf. de a. m. I, 373, 2 ss. ∾ de san. tu. 361, 18 s.; de a. m. I, 374, 2, 14 ∾ de san. tu. 374, 13 s.). Iam si pergit docere (de a. m. I, 375, 10): *τῶν μὲν οὖν ὁμοίως δυσκράτων ἅπασι τοῖς τοῦ σώματος μέρεσιν ὁμοία καὶ ἡ ἐπιμέλεια, τῶν δ' οὐχ ὁμοίων οὐχ ὁμοία κ. τ. λ.*, nos in ea materia versari, quam sexti libri extrema parte tractaverit, nemo non videt. Itaque ad eam partem potissimum pertinent ea verba, quibus iterum opus de s. t. commemorat (de a. m. I, 376, 2): *ἐπὶ πλέον δὲ λέγεται περὶ αὐτῶν ἐν τῇ τῶν ὑγιεινῶν πραγματείᾳ.* Id quoque moneo priore loco adhibitam esse formam *γέγραπται*, hoc *λέγεται*. Observavit enim Ilberg (Mus. Rh. 51, 172) Galenum saepius praesentis forma usum esse, cum libros adhuc non perfectos designare voluisset. — Restat tertius locus, qui in illo indice librorum huic libello adnexo invenitur; quo loco et libros de ratione medendi et de sanitate tuenda enumerat. Quibus ex verbis si statuere volueris haec opera tum temporis perfecta et absoluta fuisse, moneo in septimo libro de rat. medendi vicissim commemoratum esse libellum de arte medica (cf. X, 464: *ἀλλὰ καὶ ὅπως χρὴ διαγινώσκειν ἑκάστου μορίου δυσκρασίαν, ἐκ τριῶν πραγματειῶν ἀναμμνήσκου, πρώτης μὲν τῆς περὶ κράσεων, δευτέρας δὲ τῆς περὶ τῶν πεπονθότων μορίων καὶ τρίτης, ἣν ἐπιγράφομεν ἰατρικὴν τέχνην*). Iam quaeramus, num illos locos, qui inter se videntur repugnare, in concentum quendam redigere possimus. Id autem, quod antea dixi, iterum dico: Galenum eo ipso tempore, quo libellum de arte medica editurus fuerit, quinto *Ὑγιεινῶν* mutando et augendo operam dedisse. Ille cum de a. m. (I, 376, 3) praesentis formam adhibet, quomodo de temporis ratione iudicandum sit, ipse docet.

Tertium restat argumentum, quo nixus affirmare non vereor extremam partem libri quinti multo posteriore tempore esse ortam: artissimo affinitatis vinculo illa coniuncta est cum librorum de ratione medendi et septimo et octavo et nono; quos libros Septimio Severo imperante compositos esse constat inter omnes. Atque de hac re infra accuratius dicendum est; nunc satis habeo praemisisse nonnulla argumenta atque indicia, quibus viris doctis de huius partis ortu ac tempore suspicio quaedam moveretur, ut fundamentis tanquam iactis et ad sententiam meam confirmandam et ad singulas res tractandas facilior mihi pateret aditus.

Dicimus igitur priorem fuisse confectionem ita institutam, ut materia in duo volumina hodie distributa uno volumine comprehenderetur. Dispositionem autem huius libri demonstravimus hanc fuisse:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I: Vitiosae naturae (*μοχθηραὶ φύσεις*)
a) vitiosi natura
b) occupati
II: senes.

Qua dispositione inventa prioris libri vestigia colligere conati sumus. Statuimus fuisse
prooemium . . . . . , ... p. 386, 2 —389, 11 (3 1/2)
tractationem de vitiosis natura . . . . . p. 389, 12—403, 4 (13 1/2)
tractationem de occupatis . . . . . p. 403, 5 —419, 16 (17)
addendum est supplementum (de hac re videndum est infra) p. 450, 5 —452, 10 (2).

Sequitur hodie tractatio de inaequalibus intemperie. At nobis videtur secuta esse aliquando tractatio de senibus curandis. (Cf. 312, 16: *ὡς ὕστερον εἰρήσεται κατ' ἐκεῖνο τοῦ λόγου τὸ μέρος, ἔνθα τὸ καλούμενον τῆς τέχνης γηροκομικὸν μέρος εἰς διδασκαλίαν ἄξομεν*). Iam finge quaeso rem ita ut dixerim se habere. Pergamus igitur numerare paginas; liceat autem praemonere mihi non satis constare, utrum illud quinti libri prooemium arte rhetorica insigne in priore fuerit confectione necne. Tamen falsarum tabularum ne incuser, non computatum eius numerum paginarum nolo. Numerandae igitur sunt paginae quinti libri:

prooemium . . . . . p. 305,1 —312, 9 (7)
repetitio priorum . . . . . p. 312,10 – 318, 16 (6 1/2)
initium partis de senum curatione . . . . . p. 319,1 —321, 13 (3);

iam omittendae sunt paginae 321, 13—329, 8, quibus de exercitationibus agitur; sequuntur
de senum curatione . . . . . p. 329, 8—357, 14 (28 1/2).

Summa igitur fuerit paginarum (45 quinti libri + 36 sexti libri) octoginta una (81).

Continet autem paginas vol. I. 80 vol. IV 71
vol. II. 82 vol. V. 75
vol. III. 68 vol. VI. 71.

Patet iam ex hac comparatione circuitum talis qualem fingimus libri reprehensionis nullam habere ansam. Atqui ad numerum paginarum quinti libri si addideris sexti, summam efficies 146. Igitur mutationem illam, quam factam esse dico, auctor ita videtur effecisse, ut divisa in duas partes priore confectione alteram senibus reservaret, alteram vitiosis naturis; quo facto addidit utrique parti supplementum tanto circuitu, ut duo fierent plena volumina; addiderit ad partem de senum curatione paginas triginta, ad partem de vitiosis naturis circiter triginta sex. De utroque autem supplemento infra accuratius dicendum est.

Videamus nunc, num fieri possit, ut exordium eius partis, quae de senum curatione est, annectatur eis, quae leguntur in extrema parte tractationis, qua agitur de occupatis. Dicit ille p. 419, 2: *καὶ τὰς ἄλλας δὲ δυσκρασίας ἐν ὅλῳ τῷ σώματι γιγνομένας ὁμοίως ἐπανορθοῦσθαι χρή, πρῶτον μὲν ὧν προσήκει πράττειν εὑρίσκοντα τὸν σκοπόν, εἶτα τὰς δυναμένας αὐτὰ δρᾶν ὕλας.*[1]) Quis vero negabit senium quoque haberi posse intemperiem quandam totum corpus occupantem? Quod cum ita sit, optime quaestionem traducere potuit ad senum aetatem dicens (p. 319, 7): *οἷον τὸ γῆράς ἐστι μὲν ψυχρὸν καὶ ξηρόν, ὡς ἐν τοῖς περὶ κράσεων ἐπιδέδεικται λόγοις. ἐπανόρθωσις δ' αὐτοῦ διὰ τῶν ὑγραινόντων τε καὶ θερμαινόντων γίνεται κ. τ. λ.* De exordio iterato.

In ea verba relapsi sumus, quibus pars de senum curatione incipit. Quid quod alterum in quinto libro exstat exordium priori minime dissimile, nisi quod laude dignius videtur magisque idoneum, quo illa de senum curatione pars instituatur? Qua tandem re adductus est auctor ut alterum exordium disputationi suae insereret? Res non mirabilis est; nam ad pristina studia qui denuo incumbere volunt, relegunt priora, labuntur easdem in cogitationes, quas tamen, quoniam versati sunt in re, melius disponere et explicare possunt. Sed age exscribamus locos:

[1]) Ea quae sequuntur verba (419, 5—419, 16) posteriore tempore addita esse supra (p. 18) conieci.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

p. 319, 6 ss.

πειρᾶσθαι δ' ἐπανορθοῦσθαι πάντα διὰ τῆς ἀντικειμένης ἀμετρίας· οἷον αὐτίκα τὸ γῆράς ἐστι μὲν ψυχρὸν καὶ ξηρὸν ὡς ἐν τοῖς περὶ κράσεων ἐπιδέδεικται λόγοις. ἐπανόρθωσις δ' αὐτοῦ διὰ τῶν ὑγραινόντων τε καὶ θερμαινόντων γίνεται. τοιαῦτα δ' ἐστὶ θερμὰ λουτρὰ γλυκέων ὑδάτων καὶ οἴνου πόσις, ὅσαι τε τῶν τροφῶν ὑγραίνειν τε καὶ θερμαίνειν πεφύκασι.[1])

p. 357, 15 ss.

σύγκειται γὰρ ἅπασα πρόνοια σωματικῆς διαθέσεως ἔκ τε τοῦ γινώσκειν αὐτῆς τὴν οἰκείαν οὐσίαν καὶ τῆς τῶν βοηθημάτων ὕλης τὰς δυνάμεις· οἷον εὐθέως ἐπὶ τοῦ προκειμένου νῦν ἡμῖν τοῦ γήρως ὁ γνοὺς τὴν διάθεσιν ἐπιστημονικῶς, ὅτι ξηρότης ἐστὶ μετὰ ψύξεως, ἐὰν ἐκμάθῃ τὰς ὑγραινούσας τε καὶ θερμαινούσας ὕλας (sic Ven. V, reliqui codd. omittunt *τε*) *τῶν βοηθημάτων, ἀγαθὸς ἂν ἰατρὸς εἴη γερόντων. οὐσῶν δὲ τεττάρων ὑλῶν κατὰ γένος ἃς ὀνομάζουσι προσφερομένων καὶ ποιουμένων καὶ κενουμένων καὶ προσπιπτόντων ἔξωθεν, ἐκλέγεσθαι προσήκει καθ' ἑκάστην αὐτῶν τὰ θερμαίνειν τε καὶ ὑγραίνειν δυνάμενα, πρὸς δὲ τὴν οἰκείαν ἑκάστου χρῆσιν ἡ ἐπὶ τῶν παραδειγμάτων ἄσκησις ὠφελιμωτάτη.*

Utinam hoc alterum exordium posuisset in initio Galenus! Quod si fecisset, cur dispositionis singulas partes opera ac studio colligeremus, non fuisset. Nam quis non videt totius libri dispositionem hoc loco contineri? Sed ut summam faciam: non tam inani garrulitate sua dico Galenum perductum esse, ut hoc novum exordium componeret, quam quod magno temporis spatio intermisso ad pristina studia reversus fundamenta libelli sui recognoverat et repetiverat. Continuo nunc sequitur disputatio de senum exercitationibus. Ex eis autem quae supra exscripsimus verbis (322, 7: *τὸ μὲν γὰρ ἄριστον τῇ κατασκευῇ σῶμα, περὶ οὗ μέχρι δεῦρο πεποίημαι τὸν λόγον ἐξ ἀρχῆς κ. τ. λ.*) patere nobis videbatur illam partem in priore confectione non fuisse; nam novi libri dispositio, non prioris respicitur. Sed restat dubitatio quaedam. Concedendum enim est ab initio intendisse Galenum de senum exercitationibus agere; nam legimus (p. 333, 3): *ἐγυμνάζετό τε τὰ πρέποντα γέροντι γυμνάσια, περὶ ὧν τῆς ἰδέας ὀλίγον ὕστερον εἰρήσεται.* At id sane consentaneum est nec est quisquam, qui non exspectaverit auctorem voluisse de ea re agere, nec vero omnia, quae sibi proposuerat, exsecutus est Galenus;[2]) multa enim, quae dederat, promissa irrita infectaque fuisse observari potest; nec nos quidem miramur illud promissum (*ὀλίγον ὕστερον εἰρήσεται*) in priore confectione non servatum fuisse; accidit enim ei, ut citius, quam rem absolvit, ad voluminis umbilicum perveniret.

Iam alterum exstat indicium, ex quo sumo hanc de senum exercitationibus partem posteriore tempore ortam esse. Nam reliqua in disputatione re vera de senibus agitur, hac in parte non tam de senibus quam de pueris quaestio est. Etenim in editione Kuehniana si paginas numeraveris, duas fere reservatas invenies senibus, sex ad eorum aetatem prorsus non pertinentes. Inde concluserim Galenum tum temporis a senum re defecisse aliasque res in mente agitavisse. Accedit, quod nonnulla alia desiderantur, quae inventum iri in disputatione de senum curatione exspectaveris, velut non dicit ille de aere ac locis senibus ad vitam degendam commendandis; quae ratio quanti senibus aestimanda sit, docet Athenaeus apud Oribasium (ed. B.-D. III, 183 ss.).

De fallaci transgressione.

Id quoque recordare quaeso disputatione eius partis, qua *τὰ κενούμενα* tractantur, subito abrupta illum affirmasse minus temporum quam temperationis ratione senium effici. Eandem autem fere sententiam ingressus viam sibi munire conatur ad reliquam disputationem, quam huic libro annexam voluit. At cave, ne deceptus proximi enuntiati sententia credas auctorem de naturis cum

---

[1]) Ad hunc locum supra (p. 13) adnotavi: Quas notiones (scil. *προσφερομένων κ. τ. λ.*), etsi hoc loco reticuit Galenus, rerum tamen nullam desiderabis nisi quae *τὰ κενούμενα* efficiunt.

[2]) velut non stetit huic promisso (p. 158, 8): *περὶ μὲν δὴ τῶν τοιούτων ἐπανορθώσεων ἐπὶ προήκοντι τῷ λόγῳ διαλέξομαι κατ' ἐκεῖνο τὸ μέρος τῆς πραγματείας, ἐν ᾧ περὶ τῶν μοχθηρῶν κατασκευῶν τοῦ σώματος διέξειμι.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

senibus affinitate quadam coniunctis continuare velle sermonem — id quod vix improbare possemus —: simulat ille quidem se id facturum esse, cum dicit (360, 13): *ὑγραίνειν μὲν οὖν αὐτοὺς δηλονότι καὶ θερμαίνειν προσήκει* (scil. siccos ac frigidos natura), *θαρραλεώτερον δὲ ταῦτα πράττειν διὰ τὴν ἡλικίαν ἀνεχομένους ἰσχυρῶν γυμνασίων, ὡς ἂν ἐρρωμένης ἔτι τῆς δυνάμεως,* sed actutum deflectit de via, relicti sunt senes, relegati sicci ac frigidi, instituitur nova et inexspectata disputatio mala transgressione male praeparata. Et eius argumentum supra adumbravimus; constat autem de vitiosis naturis quaestionem haberi. Quare primum dicendum est hanc partem **ad sexti libri argumentum,** non quinti pertinere. Finge nunc, quaeso, omnia sincera esse, hanc partem prius conscriptam esse quam librum sextum componere agressus esset auctor, num fieri poterit, ut huius partis memoria in sexto libro non exstet? Sed ut certum est nos nullo sexti libri loco ad huius partis memoriam excitari, ita magna mihi est suspicio in quinti libri extremo capite respectam esse partem quandam sexti libri. Ac de hac re infra videbimus.

Nunc, quoniam res mihi videtur esse summi momenti, liceat summatim repetere, quae exposui: Desiit ille de senibus dicere, spem suscitat se de senilibus naturis acturum esse, flectit viam, tractat intemperiei omne genus, exempla affert vitiosorum natura — velut p. 367 Primigenem nominat, deinde *ἕτερον ἄνθρωπον ὁμοίως ἐκείνῳ τὴν θερμασίαν ἔχοντα δακνώδη,* denique *ἕτερόν τινα τῶν νοσούντων καθ' ἕκαστον θέρος ὀξὺ καὶ χολῶδες νόσημα* —, iam in extremo capite docet, qua ratione determinanda sint genera intemperiei; quo facto affirmat (379, 8): *ταῦτα δὲ* (deest Ven. V) *περὶ τῶν τὴν* (sic Ven. V) *μέσην ἐχόντων ἡλικίαν τοῦ γήρως εἴρηται κ. τ. λ.* Num haec ferri possunt? Minime. Inspice nunc, quaeso, iterum iterumque sexti libri exordium. Affirmat ille bis se hoc libro vitiosas naturas tractare velle. At addere debebat multa, quae ad rem pertinerent, iam in quinto libro prolata esse. Non fecit, ignorat illam partem. Iterum dico latere rationem quandam occultatam.

Supra dixi rationem quandam intercedere inter hanc partem et librum septimum et octavum, fortasse etiam nonum de ratione medendi. His in libris commemorantur saepissime *Ὑγιεινά*. Age, inspiciamus hos locos et adnotemus, quidquid nobis paginas percurrentibus utile videbitur: De ratione, quae intercedit inter opera de san. t. et de ratione med.

X (7) 464, 14 ss. tria enumerantur opera, ex quibus quis singularum partium intemperiem dignoscere discat. Miramur illam sexti libri *Ὑγιεινῶν* partem omissam esse, qua singularum partium intemperies tractatur (VI, 419—450).

X (7) 465, 16: *ἐγὼ γοῦν ἐμαυτῷ πάντα ἐξεῦρον αὐτὰ τῷ λόγῳ ποδηγούμενος.* Cf. VI, 365, 13: *τό γ' οὖν προκείμενον αὐτῷ τῷ λόγῳ ποδηγηθέντες ἡμεῖς εὕρομεν ἔτι νέοι τὴν ἡλικίαν ὄντες.*

X (7) 470 ss. de ventriculi intemperie fuse agere incipit nec vero mentio fit disputationis de eiusdem partis intemperie, quae legitur VI, 420—433.

X (7) 475—479: de lactis qualitate disserit; abrumpit sermonem dicens (478, 16 ss.): *ἐγὼ γὰρ εἰ πάνθ' ὅσα χρὴ σκοπεῖσθαι περὶ τὸ ζῷον οὗ τῷ γάλακτι χρῆσθαι μέλλοιμεν ἑξῆς ἅπαντα λέγοιμι, τῆς ὑγιεινῆς ὅλης ὑπομνήσομαι πραγματείας, ἣν ἀναγκαῖον μέν ἐστι γινώσκειν τὸν χρηστὸν παρασκευάσοντα τὸ γάλα, λέγειν δ' οὐ νῦν καιρός, ἑτέρωθί γε διειλεγμένον τελεώτατα ὑπὲρ αὐτῆς.* Haec videtur scripsisse oblitus uberiorem de lactis qualitate et usu disputationem insertam esse operi *π. τροφῶν δυνάμεως.*

X (7) 479, 17: *εἴρηται δὲ ὑπὲρ ἁπάντων τῶν τοιούτων τῆς δυνάμεως* (commemoratae sunt frictiones et balnea) *ὁ λογισμὸς ἐν τοῖς Ὑγιεινοῖς.* Pertinet haec adnotatio ad *Ὑγιεινῶν* librum alterum et tertium.

X (7) 491, 18 s.; 517, 11: priore loco brevius, posteriore paulo accuratius exponit, quae ratio intercedat inter utrumque opus. Eodem spectat X (7) 513; respicitur autem VI, 1 ss.

X (7) 493, 2: demonstrat consuetudinem ad alimenti medicamentique electionem non neglegendam esse. VI, 361, 5 declaravit: *τῶν δ' ἰαμάτων ἡ ἔνδειξις οὐκ ἐκ τούτων γίνεται* (scil. *ἐκ τῆς ἡλικίας, τῶν ἐθῶν, τῶν προκαταρκτικῶν*). Noli autem dicere repugnare inter sese locos; nam haec est fere sententia: ratiocinando cognoscitur solum, num quid exempli gratia humectandum sit aut siccandum; quo facto consuetudine hominis respecta praecepta dantur de pastu potuque, de balneis, de exercitationibus etc. Optime igitur hoc loco X (7) 493 dicit *εἰς ἔκλεξιν,* non *εἰς ἔνδειξιν.* De consuetudine aestimanda infra iterum dicendum est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

X (7) 510, 17: Manifestum est auctorem tractare velle easdem fere res, quas tractavit Ὑγ. VI, 420 ss. Agitur enim de fluctionibus maxime de capite in ventrem pervenientibus; quae si fuerint, gignetur sive calida sive frigida aut nescio quae intemperies in ea parte. Quae fluctiones eo sexti libri loco diligenter tractantur. Exspectamus igitur huius partis memoriam revocatum iri. Non fit, si mihi credideris. An putas Galenum hanc subtilem disputationem respicere, dicentem: X (7) 511, 10: *ἐλέχθη γὰρ ἡμῖν ἐν ἄλλοις τέ τισι κἀν ταῖς τῶν πυρετῶν διαφοραῖς ὡς ἐπιρρεῖ πολλάκις ἐξ ἑτέρων μορίων ἑτέροις ἡ περιουσία.* Solet Galenus in opere de ratione medendi lectores ad *Ὑγιεινά* delegare; cur hoc loco sustulit memoriam? Accedit, quod fluctiones passim in multis libris commemorantur; quare non habemus, cur verba *ἐν ἄλλοις τέ τισιν* referamus ad *Ὑγιεινά.* X (7) 512, 7: *κατὰ μὲν δὴ τὴν τοῦ παντὸς σώματος ἐπίσκεψιν ἔμαθες μὲν καὶ τὰ τοῦ πλήθους καὶ τὰ τῶν περιττωμάτων γνωρίσματα διά τε τῆς ὑγιεινῆς πραγματείας καὶ τοῦ περὶ πλήθους βιβλίου.* Nobili ergo loco omisit nominare *Ὑγιεινά,* debili non. De excrementorum autem notis egit *Ὑγ.* p. 64—74.

X (7) 514, 4: *. . . πάσας δὲ τὰς φυσικὰς ἐκκρίσεις εὔρους ἀεὶ παρασκευαζόντων. ὅπως δ' ἄν τις ἐργάζοιτο, ταῦτα διὰ τῆς ὑγιεινῆς πραγματείας δεδήλωται.* Eundem locum, quem modo indicavimus, respicit; accedunt permulti in toto opere dispersi. Nam quid aliud volunt frictiones, exercitationes, balnea nisi efficere, ut omnes naturales excretiones fluxiles reddantur?

Saepius igitur in hoc libro *Ὑγ.* opus commemoratur, saepius res attinguntur simillimae eis, quae extrema parte sive quinti sive sexti libri tractantur; nullo autem loco respicitur aut haec aut illa pars.

Iam inspiciamus de rat. med. octavum librum: X (8) 535, 5: De naturis agitur, quibus *τὸ διαπνεόμενον οὐκ ἀτμῶδες, ἀλλὰ δακνῶδες καὶ δριμὺ καὶ καπνῷ παραπλήσιον ἢ λιγνύϊ.* Ibidem l. 16 addit: *ἐὰν οὖν εἴρξῃς τὰς τοιαύτας φύσεις τῶν οἰκείων λουτρῶν, αὐτίκα πυρέττουσιν.* Quo facto cum aliarum Romae factarum curationum memoriam revocat, tum *τοῦ λουσαμένου μὲν ἐν τοῖς στυπτηριώδεσιν ὕδασιν, ἃ καλοῦσιν Ἄλβουλα, πυκνωθέντος δ' ἐκ τούτου τὸ δέρμα, κἀντεῦθεν ἀρξαμένου πυρέττειν* (X [8] 536—542, 3). Prorsus eadem intemperie laborabat Primigenes Mitylenaeus, cuius curatio de san. t. p. 365, 5 ideo enarratur, ut patefiat sine dignotione accuratissima ne singula quidem inveniri posse affectui nescio cui consonantia (cf. p. 365, 13: *τό γ' οὖν προκείμενον αὐτῷ τῷ λόγῳ ποδηγηθέντες ἡμεῖς εὕρομεν ἔτι νέοι τὴν ἡλικίαν ὄντες*). Erat autem Primigenes calore acri ac mordaci (366, 9: *δριμεῖα καὶ δακνώδης*) nec nisi lautus sine febricitandi periculo. Ac tantum abest, ut huius curationis iuvenili aetate factae narrationem parvi aestimem, ut contra admiratio me incedat, quod Galenus, etsi de rat. med. X (8) 535 ss. de prorsus iisdem naturis quaestionem instituit, ad eum nobilem locum in *Ὑγ.* opere exstantem lectores delegare omisit. Quare quamquam non ignoro, quam fallax sit argumentandi ratio ex scriptoris silentio, id quidem liceat adnotare nec ullo alio loco Primigenis nomen commemorari nec omnino huius loci memoriam repeti.

X (8) p. 552, 4: *ὥσθ' ὅσαπερ ἐν τῇ τῶν ὑγιεινῶν πραγματείᾳ περὶ τῶν τοιούτων κράσεων εἴρηται* (agitur de iis, qui ad febricitandum proni sunt), *μεταφέρειν ἅπαντα προσῆκεν ἐπὶ τὴν τῶν ἀρχομένων πυρέττειν εἴτε ἴασιν χρὴ λέγειν, εἴτε προφυλακήν.* De iis, qui facile in febrim incidunt, fuse agitur quarto de san. t. libro.

X (8) p. 554, 10: *τοὺς δ' ἐπ' ἐγκαύσει καὶ τούτων παρόντων* (ad gravedinem et destillationem pertinent haec verba) *λουστέον, ὡς ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς ἐπεδείκνυμεν.* Locum, quem ille respectum vult, toto *Ὑγ.* opera detegere non potui. X (8) 554, 15: *μέτρια δ' ἔστω καὶ ταῦτα μετὰ τὸ λουτρόν, οἷον τό τε καλούμενον ἴρινόν ἐστι καὶ τὸ νάρδινον μύρον. ἀλλ' οὐ χρὴ μηκύνειν ἔτι περὶ τῶνδε λελεγμένων ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς.* Irini saltem mentio fit *Ὑγ.* 220, 16.

X (8) 557, 15: *. . . εἰ μὲν ἀγαθῆς ὧν ἔτυχε κράσεως, ἐφύλαττον ἂν ἐκείνην αὐτῷ τρόπῳ παντί, μοχθηρᾶς δ' ὑπάρχοντι φύσεως ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἐξαλλάττω. λέλεκται δὲ καὶ περὶ τούτων ἐπὶ πλέον ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς.* Huius legis saepius mentio fit in libris de san. t. cf. p. 34 ss., p. 393, 395, 398. In illa parte, de qua lis est, scriptum est (p. 361, 18): *ἀεὶ προσφέρειν ἅπαντι σώματι, τῷ μὲν φαύλως διακειμένῳ τἀναντία, τῷ δ' ἄριστα κατεσκευασμένῳ τὰ παραπλήσια ταῖς δυνάμεσι.* Omitto in praesentia X (8) 576, 8, quo loco de medicamento quodam in opere de s. t. descripto agitur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

X (8) 577, 1 . . . *τοῦ διὰ τῶν τριῶν πεπέρεων διδόναι μὴ τοῦ φαρμακώδους, ἀλλ' ὅπερ ἐπηνέσαμεν ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς ὡς ἁπλούστατόν τε καὶ τοῖς ἠπεπτηκόσιν ἐπιτήδειον.* Locus, ad quem spectat, exstat *Ὑγ.* p. 413, 11: *τὸ διὰ τριῶν πεπέρεων, ἐν ᾧ μηδὲν μέμικται τῶν ἀήθων φαρμάκων.*

X (8) 579, 16: *οὐ μὴν οὐδ' ὅπως χρὴ προνοεῖσθαι τῶν βραδυπεπτησόντων καὶ ὀξῶδες ἐρυγγανόντων ἀκούειν χρὴ ποθεῖν ἐν τῷδε· τῆς γὰρ ὑγιεινῆς πραγματείας ἐστὶν ὁ περὶ τούτων λόγος.* Duo loci in contentionem veniunt: 413, 9 ss. et 422, 1 ss. Res nunc in discrimine versatur; nam quoniam diximus eam partem sexti libri, quae institueretur inde ab p. 419, posteriore tempore ortam esse, magni momenti erit cognoscere, num eo tempore, quo de rat. m. liber VIII conscriptus est, illa *Ὑγ.* pars absoluta fuerit. Sed certum est non ad 422, 1 ss., sed ad 413, 9 ss. tendere Galeni adnotationem; nam 422, 1 ss. et iam antea enumerantur, quot et quanta detrimenta fluoribus a capite manantibus singulis corporis partibus fiant. Mentio quoque fit *βραδυπεψίας τε καὶ ἀπεψίας καὶ ὀξυρεγμίας.* Quo facto continuatur ordo nec praeter baluea quaedam alia ratio medendi commendatur nisi quae omnium passionum communis sit: praecipitur enim, ut totius capitis temperamentum melius reddatur. At peculiare remedium concoctionis tardae saltem invenitur p. 413, 9 ss.

X (8) 580, 6: *οὐδὲ τότε καθ' ὃν τοῖς ὑγιεινοῖς τρόπον.* Nisi fallor, animum intendi iubet ad *Ὑγ.* quartum librum, praecipue ad ea, quae p. 240 scripta sunt.

X (8) 589, 9: *αἱ δύσκρατοι δ', ὡς κἂν τοῖς ὑγιεινοῖς ἐλέχθη, ποτὲ μὲν τῶν ὁμοίων, ἔστι δ' ὅτε τῶν ἐναντίων* (scil. *χρήζουσιν*). Ibidem 589, 16: *τῶν ἐναντίων δὲ κατὰ τὴν ὑγιεινὴν δίαιταν, ὡς ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς ἐπεδείκνυμεν, οὐδὲ τούτων διαπαντός, ἀλλ' ὅταν ἐπανορθοῦσθαι τὴν δυσκρασίαν αὐτῶν ἐθελήσωμεν.* Ibid. p. 590, 13 ss.: *ἐπειδὴ γάρ, ὡς ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς διῄρηται, τὰς τοιαύτας ἐγχωρεῖ μὲν καὶ φυλάττειν οἵας παρελάβομεν, ἐγχωρεῖ δὲ καὶ μετακοσμεῖν ἐπὶ τὸ βέλτιον, ἄμεινον οἶμαι τὴν ἐξάλλαξιν αὐτῶν τῆς διαίτης, ὅταν ἀμέμπτως ὑγιαίνωσιν, οὐχ ὅταν ἤτοι νοσῶσιν ἢ δυσαρεστῶνται. χαίρουσι γὰρ αἱ φύσεις ἀεὶ τοῖς ἔθεσιν . . .* p. 591, 17: *ὡσαύτως δὲ καὶ τὴν ἀπὸ τῶν ἐθῶν ἔνδειξιν ἔλαβεν (ὁ Ἱπποκράτης), ὡς καὶ τὴν ἀπὸ τῆς ἡλικίας.* Video rem summi momenti conspicuam esse: nullus eorum locorum quibus opus de s. t. commemoratur, ad extremam partem quinti libri trahatur necesse est, immo vix ullus illuc trahi potest. At ubi exspectaveris eius partis argumentum respectum fore, velut hoc loco (590, 16): *ἄμεινον οἶμαι κ.τ.λ.* (cf. supra), frustra circumspicies. Nam, ut id praemoneam, plane in eadem silva rerum versamur hic et illic. Iam si illum locum addideris, qui exstat X (9) 653, 9 ss.: *ἐκεῖνοι μὲν οὖν οὔτε ζητοῦσιν οὔτε ἴσασιν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν ἑνὶ καλόποδι πάντας ὑποδέουσιν,* omnia video semina sparsa, ex quibus enata sit tota reliqua quinti libri disputatio (p. 360, 15—379, 8).

Proficiscitur illa a dignotione status corporis ad remediorum indicationem unice observanda; quo facto, quid aetati, consuetudini, aliis rebus tribuendum sit, exponitur. Et de aetate quidem nusquam dubitatio occurrit, multum autem desudavit in consuetudine aestimanda (cf. X (7) 492 s.; X (8) 591, 5; X (9) 653—656). Ne in hac quidem quinti libri extrema parte desinit docere, in quantum consuetudo respicienda sit. Quae, licet multum praestet, remediorum indicationem non dat (361, 5). Aliter rem tractant empirici (361, 6). Conferas, quid exposuerit ille X (7) 460, 16; X (9) 653, 9 ss. Hippocrates eique, qui illum secuti sunt, laudantur, quod naturis corporum singulis dignoscendis operam dederunt (361, 9). Simili in contextu Hippocratis eorumque, qui illum secuti sunt, laudes leguntur X (7) 462, 11: *ἔστι μὲν οὖν καὶ Διοκλεῖ καὶ Μνησιθέῳ καὶ Διευχεῖ καὶ Ἀθηναίῳ . . . ἡ αὐτὴ δόξα περὶ φύσεως σώματος.*

Continuatur idem sententiarum ordo.

De s. t. p. 361, 15:

χρὴ γὰρ ὡς εἴρηται πολλάκις ἄρχεσθαι μὲν ἀπὸ θεραπευτικοῦ παραγγέλματος τοῦ 'τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα'.

Ibid. p. 361, 16:

τῆς δ' ὕλης τῶν βοηθημάτων ἐπιστήμονα γενόμενον, ὡς ἐκμάθῃ αὐτῆς τὰς δυνάμεις.

De rat. m. X (7) 463, 15:

ἀεὶ γὰρ χρὴ τῷ πλεονάζοντι τὸ ἐναντίον ἀντεισάγειν.

Ibid. X (7) 464, 7.

ἡ δὲ τῶν κατὰ μέρος ἴασις ἐν δυοῖν τούτοιν προερχομένη γίνεται, τῇ τε τῆς ὕλης εὐπορίᾳ καὶ τῇ ταύτης ἐπιδεξίᾳ χρήσει.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De cap. XI. Atque hae quidem sunt sententiae decantatae nec multum possunt. Iam autem docet, quid intersit inter *ἐπανορθοῦσθαι* et *φυλάττειν*. Hanc rem saepius attigit (*Ὑγ.* p. 34; 35; 394; 395; 399), tractavit X (8) p. 589—592. Hic et illic ii, qui parum ex sententia se habent, nominantur *δυσαρεστούμενοι*. Conferas:

De san. t. 363, 2 ss.

οὐκοῦν οὐδὲ τὰ ἔθη μεταβλητέον ἐστί, κἂν εἴη μοχθηρά, δυσαρεστουμένων ἔτι τῶν σωμάτων, ἀλλ' ἐν ταῖς ἀκριβεστέραις ὑγιείαις, οὐδὲ ἀεὶ τοῦτο πρακτέον,[1] *ἀλλ' ὅταν ἀπὸ τῶν πολιτικῶν πραγμάτων ἄγῃ σχολὴν ὁ μέλλων μεταχθήσεσθαι.*

De rat. med. X (8) 590, 13:

ἐπειδὴ γὰρ ὡς ἐν ὑγιεινοῖς διῄρηται, τὰς τοιαύτας (τὰς δυσκράτους φύσεις) ἐγχωρεῖ μὲν καὶ φυλάττειν οἵας παρελάβομεν, ἐγχωρεῖ δὲ καὶ μετακοσμεῖν ἐπὶ τὸ βέλτιον, ἄμεινον οἶμαι τὴν ἐξάλλαξιν αὐτῶν τῆς διαίτης, ὅταν ἀμέμπτως ὑγιαίνωσιν, οὐχ ὅταν ἤτοι νοσῶσιν ἢ δυσαρεστῶνται, ποιεῖσθαι· χαίρουσι γὰρ αἱ φύσεις ἀεὶ τοῖς ἔθεσιν . . .

Commemorantur igitur hoc de rat. med. loco libri de sanitate tuenda; idem ob eandem rem commemorati sunt de rat. m. 589, 10; 589, 18; constat illud discrimen inter *φυλάττειν* et *ἐπανορθοῦσθαι* in prima sexti libri parte plane et omnino observatum esse. Non igitur est, cur huic de rat. med. loco eam vindicemus doctrinam, quam protulit in illa *Ὑγιεινῶν* parte suspecta (p. 362 s.), praesertim cum eo ipso loco, quo gravissima res affertur, quae tamen eadem est in libro quinto, *Ὑγιεινῶν* memoriam reticuerit. Nam dicit de rat. med. 590, 16: *ἄμεινον οἶμαι τὴν ἐξάλλαξιν αὐτῶν τῆς διαίτης, ὅταν ἀμέμπτως ὑγιαίνωσιν κ. τ. λ.*, idem praeceptum loco *Ὑγ.* inesse supra exscripto nemo non videt; nec vero delegantur ad eum lectores. Cur non? Non fuit ille locus, si mihi credideris.

De s. t. p. 363, 364 castigantur ii, qui eandem curationem in simili re omnibus aegris convenire putent. Hoc querelarum genus saepius libris suis inseruit, velut huic quinto libro in exordio p. 306; de rat. m. X 206: *τὸ δ' οἴεσθαι κοινήν τινα ἁπάντων ἀνθρώπων εἶναι θεραπείαν ἐσχάτως ἠλίθιόν ἐστιν· ὅπερ οἱ ἀναισθητότατοι νομίζουσι μεθοδικοί.* Conferantur hi loci:

De s. t. 364, 3:

ὥσπερ γὰρ ἑνὶ καλοποδίῳ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους ἀδύνατον χρῆσθαι τοῖς σκυτοτόμοις, οὕτω τοῖς ἰατροῖς ἰδέᾳ βίου συμφερούσῃ μιᾷ.

De rat. med. X (9) 653, 9:

ἐκεῖνοι μὲν οὖν οὔτε ζητοῦσιν οὔτε ἴσασιν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν ἑνὶ καλόποδι πάντας ὑποδέουσιν.

p. 365 s. enarrat, quomodo sibi contigerit, ut Primigenis philosophi affectum perspiceret ac dignosceret. Diximus autem mirum videri huius nobilis loci memoriam in opere de rat. m. sublatam esse. Primigenis locum tenet iuvenis nescio quis, qui in aquis aluminosis, quas Albulas vocant, laverat (X [8] 536—542). Digressione facta alia exempla afferuntur. Idem fit de san. t. 367, 7 ss.

p. 368—371 explicantur et illustrantur duo Hippocratis praecepta; alterius exstat duplex forma; nec enim magni refert, utrum dixeris: *ταῖς θερμαῖς φύσεσιν ἄμεινον ἀργεῖν ἐστιν ἢ γυμνάζεσθαι* an: *τὰς θερμὰς φύσεις ἐλιννύειν.* Alterum praeceptum hoc est: *πόνους σιτίων ἡγεῖσθαι.* Iterum dico rem summi momenti observandam esse. Nam praeceptum priore loco commemoratum attulit X (8) 544, 2: *ἐν μὲν γὰρ τῷ ἕκτῳ τῶν ἐπιδημιῶν φησιν, ἐν θερμῷ φύσει ψύξις, ποτὸν ὕδωρ, ἐλιννύειν.* Et hoc quidem loco docet talibus naturis frigidum humidumque nutrimentum exhibendum esse. Iam X (8) 556, 3 ss. de eodem praecepto novam quaestiunculam instituit. Quaeritur autem de potu calidis naturis concedendo vel commendando. Et de vino abnuit in praesentia dicere (556, 12): *τοῦτο μὲν οὖν αὐτὸ καθ' αὑτὸ* **ζητείσθω,** de aquae frigidae potione vult exponere. Iam subsistamus paulisper, ne rem magni discriminis praetergredi videamur. Moneo enim nullam quod sciam Galeni quaestionem esse de vino calidis naturis concedendo nisi in extremo *Ὑγιεινῶν* quinti libri capite. Videtur igitur eandem, quam hoc loco pronuntiavit, disputationem inseruisse illi extremae libri quinti parti. Quae res si recte se habeat, idonea est, qua tota diiudicetur controversia. Sed sit

[1] *οὐκ* K., sanavit locum corruptum comparata Nicolai translatione C. Kalbfleisch.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

etiamnunc sub iudice lis! Redeamus ad propositum! Galenus etsi dixit (X 556, 13): *περὶ δὲ ποτοῦ ψυχροῦ διοριστέον* eisque quae sequuntur rem videtur absolvisse, redit ad eandem quaestionem X (9) 620 ss., claudit specie quidem (622, 15): *ταῦτα μὲν οὖν ἐπιπλέον ἢ κατὰ τὴν ἐνεστῶσαν ὑπόθεσιν, ὅθεν ἴσως καὶ αὖθις ἀναγκαῖον ἔσται ποτὲ δόσεως ψυχροῦ μνημονεῦσαι*, sed disceptationis laqueis tanquam irretitus non desinit de frigido potu exponere (623 s.). Ex iis autem, quae proferuntur, patet summum momentum ad potum frigidum concedendum fieri consuetudine respecta. Et hercle ita instituta est tertia eaque postrema de potu frigido quaestiuncula, ut haud inepte dicat (p. 656, 10 s.): *ἔχεις οὖν ἤδη καὶ τὸν περὶ τῶν ἐθῶν λόγον, εἰ καὶ κατὰ τὸ πάρεργον, ἀλλ' ἱκανῶς διωρισμένον.*

Id igitur video constare eam partem illius Hippocratis praecepti (cf. X 544: *ἐν θερμῷ φύσει ψύξις, ποτὸν ὕδωρ, ἐλιννύειν*), quae ad frigidum pertineat, a Galeno cura ac diligentia in opere de ratione med. tractatam esse. Sed quem librum iusseris me inspicere, quo reliquae illius praecepti partes simili ratione tractatae veniant in iudicium? Nec enim aut de vino calidis naturis concedendo aut de exercitationibus vitandis in opere de ratione med. ulla quaestio instituta est, quin ne mirum quidem est auctorem de talibus agere noluisse iis libris, quibus febricitantium curatio explicatur, nisi forte putabis exercitationibus febrim depelli posse. Ratione igitur, ne dicam necessitate, ad eam sententiam adducimur, ut existimemus, si modo auctor de reliquis praecepti Hippocratici partibus quid tradiderit, inventum iri id in aliqua parte operis de sanitate tuenda. Quod cum ita sit, stat mihi sententia paulo post in eam rem inquirere.

Nam id priusquam fiat, necesse est ad eum locum illius sive de potu frigido sive de consuetudine aestimanda quaestiunculae animum advertere, quo libri de s. t. commemorantur (X, 655, 12 ss.): *τῶν δ' ἄλλων ἐθῶν ἔνια τῶν κατὰ βραχὺ μεγάλην ἀθροιζόντων τὴν βλάβην οὐκέθ' οἷόν τ' ἐστὶ δι' ἐμπειρίας ἐξευρεῖν· εἴρηται δὲ περὶ τῶν τοιούτων ἐπὶ πλέον ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς.* Quaerenti autem mihi, ad quem *Ὑγιεινῶν* locum haec verba spectent, videtur fieri non posse, quin trahantur ad extremam quinti libri partem, inprimis ad ea, quae exstant p. 368, 15 ss.: *οἱ πλείους γὰρ τῶν ἐθιζόντων ὁτιοῦν ἔθος οἰκεῖον αἱροῦνται τῇ φύσει διὰ τὸ βλαπτομένους πολλάκις ὑπὸ τῶν οὐκ οἰκείων ἀφίστασθαι. τινὲς δ', ἤτοι νικηθέντες ὑφ' ἡδονῆς ἢ* (deest Ven. V) *δι' ὑπερβάλλουσαν ἄνοιαν οὐκ αἰσθανόμενοι τῶν τῆς βλάβης αἰτίων* (sic Ven. V, *τῶν αἰτίων* desunt in Vulg.) *ἐμμένουσι τοῖς κακοῖς ἔθεσιν.* Quod recte si habet, iam nobis quoque concedendum est tum, cum Galenus p. 655 commemoraret *τὰ Ὑγιεινά*, fuisse illam quinti libri extremam partem. Quo igitur tempore orta est illa? Post octavum de ratione medendi librum confectum, respondeo.

Hic quaerat quispiam: Quanam re tum temporis Galenus incitatus est, ut hanc partem componere animum induceret? Nullo autem tempore, postquam cogitationes suas de sanitate tuenda litteris mandaverat, haec volumina evolvere magis ipse coactus est quam tum, cum ab amicis impulsus et admonitus (X [7] p. 458) ad opus de ratione medendi perficiendum omni studio denuo incubuit. Nam ipse ut vidimus dixit (X [7] 517, 11): *κοινωνεῖ δὲ ὁ λόγος ὅδε σύμπας ὁ περὶ τῆς δυσκρασίας τοῖς ὑγιεινοῖς παραγγέλμασι κ. τ. λ.*; identidem igitur erant lectores ad libros de s. t. delegandi. Quae cum ita sint, quid est quod miremur Galenum eo ipso tempore denuo curam in opere de s. t. perficiendo et perpoliendo posuisse? Non modo non mirabile, sed etiam verisimile et consentaneum est tum temporis eam quam defendo mutationem factam esse. Nam redintegratis studiis facile fieri poterat, ut ipse quaedam omissa esse sentiret, quae si suppleri possent operis utilitatem augerent. Velut illud Hippocratis praeceptum partim pertinet ad aegros, partim ad male temperatos. Et illa pars, quae ad aegros pertinet, diligenter tractata erat. Restabat igitur, ut disputationem de reliquis insereret libris de sanitate tuenda, praesertim cum non pauci medicorum Hippocratis praecepta '*διὰ παλαιὰν βραχυλογίαν*' (X 632) male intellegerent.

Quaerendum esse dixi, ubinam illa pars de otio calidis naturis commendando, de exercitationibus vitandis exstaret. Iam dico inventam esse illam partem; nam diligenter et accurate agitur de Hippocratis praecepto recte intelligendo de s. t. 368,5—372,2.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Restat huius capitis extremus locus (p. 372 s.), quo eos vehementur incusat, qui Hippocratis schola fastidiose despecta novarum sectarum cum principes appellari voluerint, discipulos suos rudes imperitosque dereliquerint. Huius conquerendi generis exstat locus similis X (8) 560.

De cap. XII. In initio postremi capitis profitetur Galenus se paucis (*διὰ βραχέων*) repetere velle, quaenam essent determinationes vitiosarum naturarum. Finge nunc iterum quaeso omnia esse sincera, falsam opinionem meam, censebimus ea parte praeparatum iri libri sexti primam partem. Mirabimur igitur nullo sexti libri loco hanc quinti partem respici; nam hic et illic agitur de eadem re. Debebat auctor hanc epitomen toti operi annectere, non offerre discentibus, priusquam in fusiorem disputationem ingrederetur. Nam periculum erat, ne laboris fugientes acquiescerent in illa. At aliter res se habet; nam nos quidem iudicamus post illam sexti libri primam partem hanc epitomen ortam esse. Ne nos quidem negabimus male eam collocatam esse; sed quoniam sumimus ex uno libro duos esse factos, intellegimus facile mutatione illa nonnulla incommoda orta esse, nonnulla non sublata.

Comparatione facta[1]) ad universum rei si spectabimus, dicendum est nullam in quinto libro inveniri sententiam, quae eadem non sit in sexto. Sed in sexto leguntur haec omnia in pleniore contextu, quippe cum novam doctrinam tradere studeat, in quinto, cum acta repetere in animo sit, paucis absolvuntur.

De uno autem intemperiei genere Galenus non aeque ac de ceteris agit in quinto libro, sed plenius et accuratius. Nam et rebus disponendis hoc loco operam dedit: dicit primum de exercitationibus, deinde de balneis, postremo de vini usu. Iam ut comparatio fiat, si sextum librum evolverimus, nonnulla, quae in quinto exstant, desiderabimus; alia, quae scripta sunt in sexto, desunt in quinto. Sed maxime subit mirari Galeni inconstantiam in illa, quae de vini usu est quaestiuncula. Nec enim de calidis et humidis solis loquitur, sed de calidis omnino. Iam ex ipsius verbis (376, 7) *σκεπτέον ἐφεξῆς* apparet non acta rectratatum iri, sed fore ut nova quaedam afferat. Nascitur autem tota quaestiuncula ex praecepto quodam Hippocratis, quod in epidemiis fuisse dicitur. Eiusdem autem praecepti memoria exstat ut supra vidimus in libro de rat. m. octavo (X 556): *δῆλος δ' ἐστὶ καὶ ὁ Ἱπποκράτης οὐ μόνον ἐν τοῖς ἐφημέροις πυρετοῖς, ἀλλὰ κἂν τοῖς ὀξέσι διδοὺς οἶνον, ἐξ ὧν ἐν τῷ περὶ διαίτης ὀξέων γράφει. κατὰ δὲ τὸ ἕκτον τῶν ἐπιδημιῶν εἴτε οὖν αὐτὸς εἴτε καὶ Θεσσαλὸς ὁ υἱὸς*

---

[1])

5, 373

ὅσοις μὲν φύσει τὸ θερμὸν δακνῶδές ἐστιν, ὡς καπνώδη γεννᾶν περιττώματα, τούτοις λουτρὰ χρήσιμα καὶ κινήσεις βραχεῖαί τε καὶ νωθραί, πολλαὶ δὲ καὶ ὀξεῖαι βλαβερώτεραι. τούτοις οὖν οὐ μόνον ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δὶς λούεσθαι τῆς ἡμέρας συμφέρει, καὶ μάλιστα θέρους, ἐσθίειν τε τροφὰς εὐχύμους μηδὲν ἐχούσας δριμύ· πολέμιον δ' αὐτῶν ἐστι τὸ ἡλιοῦσθαι καὶ τὸ θυμοῦσθαι καὶ τὸ φροντίζειν πολλά.

6, 392

δριμὺ γὰρ καὶ θερμὸν καὶ δακνῶδες τὸ διαπνεόμενον ἀπ' αὐτῶν ἐστιν. ibid. *οὗτοι δὲ καὶ τοῖς μετὰ τροφὴν χαίρουσι λουτροῖς.* p. 391: *καὶ δὴ καὶ γυμνάζεσθαι βέλτιον αὐτοὺς οὐκ ὀξὺ καὶ σύντονον γυμνάσιον ἀλλὰ σχολαιότερόν τε καὶ μαλακώτερον* p. 398: *φείδεσθαι δὲ χρὴ καὶ μάλιστα αὐτοὺς ἐγκαύσεων . . . καὶ φροντίδων καὶ ἀγρυπνιῶν.*

Locum quinti libri plenum dedi, ex sexto eos tantum locos exscripsi, qui ad comparandum idonei viderentur.

5, 374

(ψυχροὶ καὶ ὑγροὶ.) ἰσχυροτέρων τε κινήσεων χρεία ἔχεσθαι καὶ διαίτης πλέον ἐχούσης τὸ λεπτόν . . . οὐ μὴν οὐδ' ἐν ἡλίῳ γυμναζόμενοι βλάπτονται, καθάπερ οὐδ' ἀλουτοῦντες.

6, 402

μοχθηραὶ δὲ καὶ αἱ μεθ' ὑγρότητος ψυχραὶ κράσεις εἰσί . . . ὀνίνησί τ' αὐτὰς ἀλουσία τε καὶ γυμνάσια καὶ δίαιται λεπτότεραι.

5, 374

ἔστι δὲ ἡ μὲν ψυχρὰ καὶ ξηρὰ τῇ τῶν γερόντων ὁμοία.

6, 401

χειρίστη . . . ἡ ξηρὰ κρᾶσις. ὃ γὰρ ἐν τῷ χρόνῳ τοῖς γηρῶσι γίνεται, τοῦτ' εὐθέως ἐξ ἀρχῆς ὑπάρχει τούτοις.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

αὐτοῦ παραιτεῖται τὸν οἶνον οὐ μόνον εἰ πυρέξειαν οἱ θερμοὶ ταῖς κράσεσιν, ἀλλὰ κἂν τῷ τῆς ὑγείας χρόνῳ· ἐν θερμῇ γοῦν φύσει παραινεῖ ψύξιν τε καὶ ποτὸν ὕδωρ καὶ ἐλιννύειν· εἰ μὴ ἄρα τὸ πλείονι χρῆσθαι τῷ ὕδατι τοῦ οἴνου κατὰ τὰς τοιαύτας φύσεις, ᾗπερ ἀρέσκει τισί, φαίημεν ὑπ' αὐτοῦ παραινεῖσθαι. τοῦτο μὲν οὖν αὐτὸ καθ' αὑτὸ ζητείσθω, περὶ δὲ ποτοῦ ψυχροῦ διοριστέον. Cum dicit Galenus ζητείσθω, sperare nos iubet se alio loco hanc rem in disceptationem vocaturum esse nec si alicubi de ea re iam egisset, praetermisisset, quin ad eum locum lectores delegaret. Vides igitur in eo, quem exscripsimus, loco commemoratum illud praeceptum: ... παραινεῖ ψύξιν τε καὶ ποτὸν ὕδωρ καὶ ἐλιννύειν. Et de cibis frigidae naturae deque potu frigido egit Galenus diligenter in libris de rat. m. Restabant duae quaestiones ad sanos potissimum pertinentes:

Licetne calidos non movere?
Vetatne Hippocrates calidis vinum dari?

Utramque quaestionem videmus fuse lateque tractatam in extrema quinti libri parte. Absurdum hercle est credere Galenum has quattuor quaestiones ex uno Hippocratis praecepto natas ita tractavisse, ut aetate M. Antonini duas, duas aetate Septimii Severi tractaret. Licet multa a me parum perspecta sint: id dicere audeo ne intellegi quidem plane posse extremam libri quinti partem nisi adhibitis libris de ratione medendi et septimo et octavo et nono.

Maxime tota in parte actum est de calidis naturis, profecto non actum est de senibus, satis igitur ridicule subito dicitur (379, 8): ταῦτα δὲ περὶ τῶν τὴν μέσην ἐχόντων ἡλικίαν τοῦ γήρως εἴρηται κ. τ. λ. Male collocata est tota pars, pessime partis extrema particula. Voluit ille si quid video mutatione facta, quoniam rem dissimulare in animo erat, quinto libro unitatis speciem imponere. Illum autem locum epilogi vicem optime obtinere quis non videt? Plenum igitur ac refertum de senum curatione librum sibi videbatur Galenus edidisse.

De sexti libri tertia parte.

Venio ad tertiam libri sexti partem, qua de inaequalibus intemperie agitur. Diu iudicavi eam priore tempore ortam esse; quae sententia videbatur confirmari loco, qui exstat de rat. m. X (8), 576, 7: εἴρηται δ' ἡ σύνθεσις τῶν τοιούτων φαρμάκων (τοῦ διὰ τῶν κυδωνίων μήλων χυμοῦ et τοῦ διὰ τῆς σαρκὸς αὐτῶν) ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς. Haec remedia quomodo componenda sint, exponitur de san. t. 450, 5—452, 7. Totum autem locum esse supplementum ad absolutum opus additum expressis verbis declaratur (450, 5): τούτων ἤδη γεγραμμένων, ἀναγνούς τις τῶν ἑταίρων ὅλον τὸ βιβλίον, ἕν τι τῶν πρόσθεν ἀναβληθέντων (sic Kalbfleisch, ἀναλειφθέντων K.), ὕστερον δὲ ῥηθησομένων παραλελεῖφθαί μοι τελέως ἔφη, τὸ διὰ χυλοῦ τῶν μήλων φάρμακον κ. τ. λ. ibid. l. 11: ἐπαινέσας οὖν αὐτὸν ἀναμνήσαντα προσθήσω τῷ λόγῳ τὴν σκευασίαν αὐτοῦ κ. τ. λ. Promiserat enim Galenus in quarto libro (285, 1): καὶ τὸ διὰ χυλοῦ τῶν κυδωνίων μήλων, οὗ τὴν σύνθεσιν ἅπασαν ἐρῶ καὶ τὴν δύναμιν ἀκριβῶς ἐξηγησόμενος κατὰ τὸν ἑξῆς λόγον. Videtur autem hoc supplementum iam in priore confectione fuisse et inserta parte, qua inaequales intemperie tractantur, locum suum in libri calce servavisse; nec potest id, quod supplementum additum esse expresse dicimus, alium locum tenere. Nec enim iam mihi persuadere possum illam de inaequalibus partem tum, cum Galenus septimum et octavum librum de rat. m. composuit, perfectam fuisse. Nam nunquam, etsi saepius de simillimis passionibus, de iisdem remediis agitur, respicitur ullus locus illius partis sexti libri. Contra in sexto libro delegamur ad eam operis de rat. m. partem, quae Septimio Severo imperante absoluta est; dicit enim (437, 3): λέλεκται δὲ τελέως δηλονότι περὶ τῶν τοιούτων ἁπάντων ἐν τῇ τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου πραγματείᾳ κ.τ.λ. Agitur autem hoc loco de medicamentis quibusdam calculosis parum idoneis, quippe quae nimis calefaciant et siccent. Mea autem sententia haec verba referenda sunt ad locum quendam in libro XIV de rat. med. (956, 11): καὶ γὰρ οὖν καὶ τῶν ἐν ταῖς ἀρθρίτισι πώρων ἡ γένεσις ἐξ ὑγροῦ παχέος ἐστὶ καὶ γλίσχρου μὴ κατὰ βραχὺ διαφορηθέντος, ἀλλ' ἀθρόως ξηρανθέντος ὑπὸ βιαίων φαρμάκων. οὕτω δὲ κἂν τοῖς νεφροῖς οἱ λίθοι γεννῶνται, κατοπτηθέντος ἐν αὐτοῖς χυμοῦ παχέος καὶ γλίσχρου. διὰ τοῦτ' οὖν ἐπὶ τῶν σκιρρωδῶν διαθέσεων οὐδὲν τῶν

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἰσχυρῶς θερμαινόντων ἢ ξηραινόντων φαρμάκων ἁρμόττει κ.τ.λ., cf. de san. t. 437, 1: *ἐπὶ γάρ τοι τῶν νεφριτικῶν οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ὅσα θερμήνειε σφοδρῶς διδόναι χρή.*

Maxime autem mihi infestus locus est p. 402, 3: *ἀβλαβῆ γὰρ ἀφροδίσια μόνοις τοῖς ὑγροῖς καὶ θερμοῖς ἐστι καὶ ὅσοι φύσει πολύσπερμοι, περὶ ὧν ἐν ταῖς ἀνωμάλοις κράσεσιν αὐτίκα λεχθήσεται*, qui si in priore confectione fuerit, concludendum est Galenum voluisse uno volumine comprehendere aequales intemperie, inaequales intemperie, occupatos, senes. Non facile adducor, ut existimem ita Galenum ratione deceptum esse, ut tantam materiam unum in volumen coartari posse putaret. Quare aliter mihi videtur res difficilis expedienda esse. Consilio mutationis inito voluit ille primum de inaequalibus intemperie priore loco, de occupatis posteriore agere. Tum temporis inseruit nescio qua occasione oblata illam adnotationem. Abiectum illud prius consilium esse dicit ipse (403, 4): *περὶ δὲ τῶν ἀνώμαλον ἐχόντων τὴν κατασκευὴν τοῦ σώματος οὐκ ἐγχωρεῖ διὰ βραχέων εἰπεῖν, ἐπειδὴ πολλαὶ τῶν τοιούτων ὑπαλλάξεις εἰσίν, ἄλλων ἄλλο μόριον ἐχόντων δύσκρατον. ἀλλὰ κἂν δύο δύσκρατα ἔχωσί τινες, ὑπαλλάξεις καὶ τούτων γίνονται πολλαί.* Deinde novam dispositionem indicat (403, 8 ss.): *καὶ διὰ τοῦτο πρότερον εἰπόντες, ὅσα τῷ τε τὴν ἄμεμπτον ἔχοντι κατασκευήν, βιοῦντι δὲ βίον δουλικὸν ἢ περιστατικὸν ἢ ὅπως ἄν τις ὀνομάζειν ἐθέλοι, ποιητέον ἐστί, καὶ μετὰ ταῦτα, ὅσα τοῖς ὁμαλὴν τὴν δυσκρασίαν ἐν ὁμοίῳ βίῳ, μεταβησόμεθα* (sic conicio; K. *μεταβήσομεν*) *τηνικαῦτα πρὸς τοὺς ἀνώμαλον ἔχοντας ἐν τοῖς τοῦ σώματος μέρεσι τὴν κατασκευήν.* Totum hunc locum tum conscriptum esse puto, cum mutationis faciendae consilium exsecutus est. Equidem ut supra dixi existimo priorem confectionem talem fuisse, ut uno volumine comprehenderentur omnes naturae una intemperie per totum corpus serpente occupatae (419, 2: *δυσκρασίας ἐν ὅλῳ τῷ σώματι γιγνομένας*). Hanc sententiam si sequemur, optime servabimus pristinam dispositionem:

I. Vitiosae naturae (*μοχθηραὶ φύσεις*)
  a) vitiosi natura
  b) occupati
II. senes.

Restat, ut moneam totum *Ὑγιεινῶν* opus ex Galeni sententia imperfectum habendum esse. Quod patet non solum ex postremis verbis (452): *ὅσοι δὲ καθ' ἓν ὁτιοῦν ἤτοι γε ὁμοιομερὲς ἢ ὀργανικὸν ἀνώμαλον ἔχουσι κρᾶσιν, ἕτερος ἐπ' αὐτοῖς εἰρήσεται λόγος*, sed etiam aliis ex locis, velut p. 31, 11: *πολλοῖς δὲ ἐφώρασα καὶ κατά τι τῶν ὀργανικῶν μορίων δύο κράσεις ὑπαρχούσας . . . περὶ μὲν δὴ τούτων ἐν ταῖς μοχθηραῖς τῶν σωμάτων κατασκευαῖς εἰρήσεται.* p. 245, 3: *ὑπὲρ ὧν (τῶν ἀθροιζόντων φύσει κακοχυμίαν) ἐν ταῖς μοχθηραῖς κατασκευαῖς τοῦ σώματος ἐν τοῖς ἑξῆς ὑπομνήμασιν ἐπὶ πλέον ἐροῦμεν.* p. 295, 14: *πηλίκον ἐστὶ κακὸν ἑτέρῳ τρόπῳ κενώσεως χρῆσθαι, παραλείποντας φλεβοτομίαν, εἰρήσεται μέν που καὶ διὰ τῶν ἑξῆς ὑπομνημάτων, ὅταν ὑπὲρ τῶν μοχθηρῶν κατασκευῶν ὁ λόγος περαίνηται.* p. 300, 10: (*διὰ τὸ*) *μέλλειν που καὶ αὖθις ἴσως ἡμᾶς ἐν τῇδε τῇ πραγματείᾳ περὶ φλεβοτομίας ἐντελέστερον διέρχεσθαι.* Nec vero de venae sectione accuratius egit nec de duplici in una parte intemperie quidquam tradidit. Verisimile autem mihi quidem est Galenum quarto libro absoluto reliquam materiam duo in volumina ita dispertire voluisse (cf. p. 245, 295), ut unum reservaret male temperatis toto corpore, alterum male temperatis singulis corporis partibus. Obversata est ei, si quid video, haec fere dispositio:

Vol. V. VI.
Vitiosae naturae.

V.	VI.
Male temperati toto corpore	Male temperati singulis corporis partibus
1. natura (vitiosi natura)	1. una quidem intemperie, sed alia in aliis partibus
2. negotiis (occupati)	2. duplici intemperie in una eademque parte.
3. senectute (senes).	

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ea igitur pars, quam ut equidem opinor sexto volumini destinaverat alteram, deest, sed constat voluisse Galenum eam componere. Quod consilium cum in posterius distulisset, ut saltem ad finem quendam perduceret opus suum, coactus est oeconomiam eius mutare: senibus concessit quintum librum, adiunxit excitatus studiis suis in opere de rat. m. denuo positis novam partem, sextum librum vitiosis naturis reservavit. Nec vero ei contigit, ut omnia mutationis vestigia tolleret atque exstingueret.

Habes igitur meum et de quinto et de sexto *Ὑγιεινῶν* libro iudicium, quod aut sequere aut tuo stabis, si aliud est quoddam tuum.

II. De codicum Graecorum auctoritate ac fide.

A. De sententiarum ordine perturbato.

Postquam multo ante sensi sententiarum ordinem in libro quinto perturbatum esse, cum ipse mihi diffiderem ratus tam gravem corruptelam tam multorum tamque doctorum virorum oculos ac mentes fugere non potuisse, rem cum Carolo Kalbfleisch communicavi, viro de Galeno restituendo insigni laude promerito; qui quamquam et suis et discentium studiis occupatus erat, tamen in hanc quaestionem benigne morem mihi gerens diligentissime incubuit. Suasit autem mihi per litteras vir doctissimus, ut num quo in codice Graeco melioris ordinis vestigia detegi possent prius examinarem. Qua in re quoniam equidem tiro ac rudis adhuc versatus eram, quantum debeam viro bibliothecarum codicumque in bibliothecis repositorum peritissimo, grato animo confiteor semperque confitebor. Ac primum quidem tabulas photographicas antiquissimi quantum scio codicis Veneti n. 276 s. XII efficiendas curavi, non totius, ut id moneam, codicis, sed quinti libri, fol. 46ᵛ—57ᵛ. Continent singulae paginae plus minusve tricenos versus, columnae non sunt, compendia plurima. Hunc codicem cum textu, qui exstat in editione Kuehniana, cum contulissem, animadverti eum permultis locis ab illius verbis recedere. Qui quamquam ipse non paucis erroribus inquinatus est, tamen centies conservavit veram scripturam, quin etiam sincerum sententiarum ordinem, qualem supra exposui, exhibet.[1]) Nam quanto putas gaudio me vidisse fere omnia, quae cogitatione inveneram, huius codicis fide esse confirmata, nisi quod epilogum illum transpositum volui, quem cum in codice quoque extremo loco collocatum vidissem, maxime incitatus sum, ut denuo sententiarum ordinem examinarem. Ut autem id primum absolvam, quod ad perturbatum in ceteris omnibus codicibus Graecis ordinem pertinet: fol. 49ʳ legis haec: *ἐφεξῆς δὲ περίπατοί τε καὶ αἰωρήσεις ἄκοποι στοχαζομένῳ τῆς τοῦ γέροντος δυνάμεως* (= K. p. 321)· *οὐ γὰρ μικρά τίς ἐστιν αὐτοῖς διαφορὰ κ. τ. λ.* (= K. p. 329). Nec vero multum afuisse, quin ne huius quidem codicis fides integra intactaque maneret, inde apparet, quod in margine adscripta videmus haec verba: *τὸ λεῖπ(ον)* [corr. ex *λείπ(ει)*] *ὧδε ἔμπροσθεν ἐστὶ τεσσάρων φύλλων.* Ac re vera quattuor foliis evolutis ad eum locum nos pervenisse sentimus, quo illa pars de senum exercitationibus inserenda est; et in nostro quidem codice adest illa omniaque recte se habent et procul a reprehensione, nisi quod idem qui antea scriba — vix est monendum alterius, non qui codicem scripserit esse manum — in margine annotavit: *τὸ λεῖπον ὄπισθεν τῶν τεσσάρων φύλλων ὧδε ἐστίν.* Ille igitur procul dubio duos ante oculos habebat codices, quorum alter pravum exhibebat ordinem, alter i. e. noster integrum. Nec tamen nostro codici fidem attribuit iste, sed id spectans, ut lectoribus codicis ut ipse putabat corrupti indicaret rectum ordinem, in margine qualis melioris ut ipse putabat codicis ordo esset adscripsit. Quin ubi ea pars, de qua lis est, ad finem pervenit, tertia in margine legitur annotatio: *ἕως ὧδε τὸ λεῖπον ὄπισθεν.* i. e. ea, quae ante desiderantur, usque ad hunc locum pertinent. —

[1]) Rem paucis promulgavi, Berl. phil. W. 1910, n. 52 p. 1656.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf